NAZ.
ele III
LI

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XL
C
7
NAPOLI

XL C 7

ILLVSTRI
&
REVERENDISS.
FRANCISCOMARIÆ
SFORTIÆ
EPISCOPO CONVERSANENS.
Fratri
MVTIVS SFORTIA
S. P. D.

QVI de Poeſi tractant, Antiſtes optime, fraterq; amantiſſime, eam ob diuinum cultum celebrandum in primis inuentam tradunt: vt dum numeris contextæ, muſicis modis diuinæ laudes decantarentur ea ſuauiſſima harmonia audientium animos excitarent, excitatos conuocarent, conuocatos demulcerent, atque ita delinitos ſurſum raperent, & ad Deum laudandum, & illi gratias agendum

inducerent. Hinc Muſæi, Orphei, & Homeri hymnos legimus. ſed quid Ethnicorum carmina dico? Hinc canticum Mariæ, & Moyſi eius fratris cantamus. hinc triumphale canticum Delboræ, & Barach victorum habemus. cui nulla Pindarica ode ſeſe conferre auſerit. Hinc illa Annæ Samuelis matris, & Ezechiæ Regis gratias Domino agentium canimus. & vt nonnulla prophetarum prætermittam, quid? nonne quaſi quodam diuino numine afflatus beatus Iob in exametros verſus erupit, dactylo, ſpondeoq́; currentes, vt mirificas illas ſententias expromat, Dei magnificentiam prædicet, doctrinamq́; illam reconditis ſenſibus perornatam, allegorijsq́; inuolutam enarret? adeo vt proculdubio illi, & non Phæmonoe, non Apollinis oraculo, vtpote his omnibus antiquiori inuentum exametrum debeatur. Quàm dulcis interdum eius rythmis, & timulus fertur numeris pedum ſolutis? Vt Hieremiam taceam, qui ciuitatis ſuæ ruinas quadruplici alphabeto, menſura metrica, verſibusq́; quaſi quibuſdam verè flebilibus Elegijs deplorauit: nonnè Salomon dum Eccleſiam iungit & Chriſtum, ſanctarum nuptiarum dulce canit Epithalamium? Nonne eius pater Dauid Simonides noſter; Pindarus & Alcæus; Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus Chriſtum lyra perſonat? his de cauſis ego inductus, cum ſpiritus Domini bonus quaſdam mihi meditationes inſpiraret, quibus mundum contemnere, ac ſeſe, & cæleſtia amare perſuadebat, malui eas verſibus quam pedeſtri ſermone explicare. & magis Elegijs, quàm alio carminum genere includere. vtpote ad exprimendos affectus, & amores aptioribus. vt apud Græcos Callimachum, Philætam, & Euphorionem; apud Latinos verò Tibullum, Propertium, Naſonem, & Gallum feciſſe videmus. Has ego cum ante diſperſas, puluereq́; obſitas, hinc, inde collectas in duos libellos digeſſiſsem (nam cunctas penè, præter paucas, cũ iſtic degerem, iamdudum condideram)

ad

ad legentium vtilitatem, & ad Dei qui has dictauit laudem, vnà cum ſacrorum Epigrammatũn libello tandem edere decreui. Cogitantiq; mihi cuinam has potiſſimum dedicarem, circunferentiq; mentis oculos, tu ante omnes occurriſti, Frater amantiſſime, vir cum ſanctitate, tum doctrina conſpicuus. Timor enim Domini, qui initium eſt ſapientiæ, (vt cum illo ſapiente ita dicam) tecum in vulua concreatus eſt. tecum adoleuit, tecum à teneris vnguiculis luſit, Nam, quod nam ſtudium tibi treis, vel quatuor annos nato fuit, præterquam ædiculas conſtruere, altaria erigere, ſacras imagines ponere, & nunc alternos pſalmorum verſus cum colludentibus pueris canere? nunc domeſticis manus deoſculandas præbere, quaſi præſciſcens te ſacerdotem, atq; Epiſcopum futurum? adeò vt alter puer Samuel tunc viderere. Adultus verò, & ſacris initiatus, quoties in montes, & in eremum perrexiſti? quot diebus, ac menſibus ibi comoratus es? atq; vt alter Paulus, & Hilarion ibi Deo deſeruiſſes, niſi aduerſa valetudo te inde expellens in vrbem compuliſſet. Cum verò deſiderio, ſtudioq; viſendi ſacras reliquias SS. Apoſtolorum Petri & Pauli; cæterorumq; Diuorum, quorum corpora ibi in pace quieſcunt, incenſus, te Romam contuliſſes, arctiori te religionis vinculo religare meditabaris. ſed vetuit Gregorij XIII. Pont. Maximi, Optimiq; prouidentia qui vigilanti, Lyncæoq; oculo tuas admirabiles virtutes, ſanctitatemq; perſpiciens te vix decem menſes Romæ commoratum, vtpote Chriſti gregi paſcendo valde idoneum, Epiſcopum creatum ad tuos remiſit. Cæterum qualiter in iſto Epiſcopatu adminiſtrando te geſſeris, teq; etiamnum geras, dicant vt oculati teſtes hij qui viderunt, quiq; adhuc vidēt. Non enim poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neq; lucerna ſuper candelabrum lucens omnibus qui in domo ſunt, Etenim ſi verum fateri volent, dicent, quemadmodum tu Clerum accipiens vetuſta licentia diſſolutum, voluptatibusq; indulgen-

tem,

tem, dum Paſtores qui te præceſſerunt conniuent, dormitantq; nunc ad ſobriè, caſteq; viuendum induxeris. virga vtēs, dum ſeuerè peccantes caſtigas. Manna adhibens, dum pœnitentibus miſereſcis. In omnibus te ipſum præbens exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, & in grauitate. Quis enim melius caſtitatem docere potuiſſet, quàm tu qui perpetuò virginitatem coluiſti? Dicent quàm manſuetè, atq; humiliter illius ſapientis conſilio auſcultaueris, dum ait, Rectorem te poſuerunt? noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis. Sic re vera quaſi vnus ex ipſis omni ſupercilio depoſito inter tuos ſubditos mitis, ac lenis, affabilisq; verſaris. Dicent vt optimus vigilansq; Agricola tu triticum zizanijs expurgaueris. Dum Dæmoniaca portenta, illas, inquam, veneficas mulieres de medio tollis. Dicent vt tu intrans Epiſcopalem domum, ſpeluncam certè latronum inueneris, imò ſpelæa ferarum, ſic vndique collapſa, rimis hiulca, detecta, vniuerſa ruinam minabatur ob prædeceſſorum auaritiam: & nunc erectam ab imis penè fundamentis ingenti ſumptu porticibus, aulis, xiſtis, triclinijs, camerisq; pulcherrimis, necnon pomario exornaueris, adeò vt non domus, ſed potius Regia Epiſcopalis appellari poſſit. Nec id feciſti tantum tuis commodis, verum Epiſcopali dignitati, ſucceſſoribusq; conſulens. Dicent quod adeò tu crimine auaritiæ cares, vt verè, & audacter cum Samuele clero tuo dicere potes: Loquimini de me coràm Domino, vtrum Bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum: ſi quem calumniatus ſum: ſi oppreſſi aliquem: ſi de manu cuiuſquam munus accepi, & contemnam illud hodie, reſtituāq; vobis. imò quod tanta charitate in tuum gregem flagres, vt de tuo cenſu potius multas eſurientes oues bone Paſtor paſcas. dum ſanctos epiſcopos imitatus, cuncta penè Eccleſiaſtica bona in eleemoſynas erogas. teq;, domumq; tuam re paterna hæreditaria alas. Nam plus curæ quàm cenſus tibi Epiſcopatus exilis re-

ſed

ſed clero diues attulit. Quid verò de tua doctrina dicam? ac infinita, & multiiugi lectione? dum tempus, quod orationi, rerumq; adminiſtrationi ſubtrahis, lectioni libenter impendas. Sed quod Chriſtianum Sacerdotem, ſanctumq; Antiſtitem decet, Theologiæ, ſacræq; ſcripturæ ſtudium maxime te occupatum tenet. Lectio Patrum præ cæteris te delectat. Horum ſcripta nemo accuratius, te legit, ac relegit, nemo melius te mente tenet, vt locupletiſſimo teſtimonio in Conſiſtorio coram Gregorio XIII. Pont: Max. Gulielmus Sirletus Cardinalis, vir vndecunque doctiſſimus, qui iſtam tuam doctrinam ex aſſiduis familiaribus colloquijs benè nouerat, comprobauit, cum tu renunciatus Epiſcopus fuiſti. ait enim, Te vſq; adeò tenaci memoria recondita ſcripta patrum tenere. vt ſi illa fortè excidiſſent, tu ex tua memoria deprompta reſtituere poſſes. Plura dicere vellem, ſed Epiſtolæ anguſtijs coartor. illud addam. Ne ſit qui mihi vitio vertat, quod frater fratrem laudauerim. Nam maximorum exemplo virorum id feci, & vt cæteros ſileam, duorum Gregoriorum inter Græcos Coryphearum. Nyſſeni, inquam, ac Nazianzeni. quorum alter Baſilium fratrem ad cælum efferens luculentiſſima oratione, illum Moyſi, illum Eliæ, illum Samueli, Ioanni Baptiſtæ, & Paulo Apoſtolo comparat. alter verò Cæſarium fratrem defunctum miris encomiis proſequitur. Sed præterea idcirco has ſacras Elegias tibi dedicaui, vt quemadmodum te oſſendi, carminum libellos, atque Elegias edens noſtros laſciuos Amores continentes, ſic te lenirem, ac mihi conciliarem, dum carmina hæc tibi mitto, noſtrum in Deum amorem teſtantia; vt veluti eadem natiuitas, ſic morum ſimilitudo, nos verè faciat eſſe germanos. Tu igitur obuijs vlnis, vt aiunt, ac ſerena fronte has Elegias accipe; in quibus & ſi elegantiam, eruditionemq; requires, forſitan pietatem, vel deuotionem (vt ita dicam) non deſiderabis, atque vt noſtri monimentum, & pignus amoris apud te habeto. quo-

tiesq;

ticsq́; in manum ſumes, Mutij tui memor eſto. Has ſi pergratas tibi fuiſſe nouero, vt ſpero, multa alia carmina ſacra edere conabor, & præſertim materna condita lingua rythmis variata Ethruſcis. quod facere adhuc non potui, diutina valetudine fractus. Nam verum fateor, deletis iampridem ex noſtro corde illis vanis, terrenisq́; amoribus, qui deſiderio ſolum in ipſo flagrarunt, nunc mihi iam Dei gratia his vacuo, & reſipiſcenti, ac fortaſſis cœleſti charitate vulnerato nil aliud quàm Dei, Diuorumq́; laudes canere, quàm cœleſtia tractare, quàm ſancta deſideria metro, vel proſa oratione explicare libet, quibus memetipſum, ac proximum ad illam æternam gloriam capeſſendam extimulem, & incendam. Bene vale. atque vt facis me redama. Venetijs. Idibus Septemb. Anno noſtræ ſalutis

M D L X X X V I I I.

MVTII SFORTIÆ
ELEGIARVM SACRARVM
Liber Primus.

ELEGIA I.

HACTENVS inſani ' iuueniles luſimus ignes
　Deluſi a mundo, carnis & illecebris.
Nunc alius penetrans arcano viſcera telo
　Pectora de cœlo noſtra perurit Amor.
Ergo purgato cœleſtia corde canamus.
　Iam ſurſum rapior, lurida terra vale:
Numinaq́; vt vires addant, non ficta vocanda:
　Nec mihi qui dictet carmina, Phœbus erit.
Sedibus æthereis at ſpiritus ille ciendus
　Omnia qui complet, quiq́; creabat aquas.
Nec mihi Calliope, neque Cliò vt Diua roganda,
　Dulciter vt noſtro perſonet ore melos.

Quia ſuos amores carminib. Latinis & Etruſcis luſerat. Propert. Scilicet ĩſano, nemo ĩ amore videt. Auſonius in Ecl. Myrteus amentes vbi lucus opacat amantes.

At Virgo ſpes fida hominum, Regina Deorum
Alma Dei genitrix, quæ ſuper aſtra ſedet.
Nec modò ſub Pindi nemus, aut Heliconis [2] eūdū,
Siue Cythæronis ſaxa petenda mihi.
At ſuper immenſos orbes ſtellantis Olympi [3]
Mens niueis pennis ſulta, alacriſq́; volet.
Non vt magna canam, euadamq́; poeta repentè,
Fonte caballino noſtra leuanda ſitis.
At fons æternus [4] vitę potandus, & illud
Flumen lætificans mœnia celſa Dei.
Nec mihi vos Myrthi, neu cingite tēpora Lauri,
Non Hederæ; hęc alij dona caduca petant.
At lignum vitæ, [5] quod lætis accubat vmbris
Ætheris in medio grandia poma ferens;
Quodq́; rigat viua fluuius pellucidus vnda,
Serta ſalutiferis porrigat è foliis.
Nec mihi materiā [6] Thebę, neq; Troia, nec Argo,
Nec dabit Æneas, Æacidesvè furens.
Sed carmen mihi CHRISTVS erit; cęleſtia tātū
Pangimus, æthereus quæq́; operatur Amor.
Ipſe igitur Mens ſumma [7] Patris, verbūq́; perēne,
Quo factum cœlum, conditaq́; extat humus,
Dignas materias, te dignaq́; ſuggere verba.
Inflameq́; tuam, ſpiritus alme, tubam.

2 Loca Muſis ſacra.
3 Alludit vt ad Olympum montem.
4 Pſ. Quia apud te ē fons vitę. & alibi. Fluminis impet' lætificat ciuit. Dei.
5 Apoc. 22 Et oſtēdit mihi fluuiū aquæ viuæ ſplēdidū tanq̄ chryſtallū & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferēs fruct' duodecim. & folia ligni ad ſanitatē gentiū.
6 Thebæ. vnde Thebais Stat. Troia. vn̄ Ili. Hom. Argo, nauis, i Argonautæ. vnde Val. Fl. Fatidicamq́; ratem. materia Apollonij Rhodij. Orph. Varronis Atacini & Val. Flac. Æn. Virg. Ira Achillis, Iliadis principiū.
7 Pſa. Verbo Dn̄i cęli fir. &c.

Vt

Vt dignè te digna canens, ſtimulare ſub aſtra,
Et flammare tui ſemper amore queam
Hæc mea lecturos intento carmina[8] corde.
Vnde mihi iuxtà te, bone Rex ſuperum,
Subcreſcant Palmę, ſuperaddanturq́; coronæ,
Atque abſte magno pręmia magna feram.

8 Iac. c.5 quoniam q̃ cõuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit aĩam ei' a morte, & operiet multitudinẽ pc̃tõrũ.

ELEGIA II.

FRACTVS vt in Solem radius reflectitur ipſum,
Ex quo manarat, luſtra & alta celer.
Sic mea mens abſte ſplendorum fonte[1] perenni
Deriuans, munus, Rex bone CHRISTE, tuũ,
Nunc ad te conuerſa redit, terrasq́; relinquens
Æthera colluſtrat, cœlicolumq́; domos.
Te videt, ac manuum meditãs opera alta tuarum
Te canit, exaltans teq́; creator, amat.
Tu face, Iuſtitiæ[2] Sol, magneq́; luminis author,
Concauo vt è ſpeculo fulgurat exiliens
Ignemq́; accẽdens iubar, obuia quęque perurit;
Sic tua ab hoc[3] humili Gratia corde micans

1 Iac.c.1. Omne datum optimum, & omne donum perfectũ, de ſurſũ eſt, deſcẽdẽs a patre luminũ.
2 Malac. c.3. Et orietur vobis timentibus nomẽ meũ, Sol iuſtitiæ, & ſanitas ĩ pẽnis eius.
3 Vt concauũ ſpeculum.

Multos exemplis inflammet, ad æthera multos
Abſte dictatis verſibus exacuat.
Iãquè tibi Patris æternũ verbũ, omnia formans,
Omnia per quod ſunt, ſydera, terra, fretum:
Hæc mea Muſa leuis veluti reparabilis Echo,
Ludicra reſponſat vocis imago tuæ.
Fac tu nate Deo, ſummiquè [4] parentis imago,
Vt dum reſpondens adſonat illa tibi;
Sic puras aures capiat dulcedine cantus,
Audire vt cupiant tequè, modosquè tuos.
Quas implés de hinc tu cęleſtis, & optima Siren,
A terra ad cœlum, ſyderaquè alta trahas.

4 Heb. 1. Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.

ELEGIA III.

OMNIPOTENS cęli rector, mundiquè creator,
Quem trinum, atq; vnum pectore, & ore [1] colo,
Non abſte, Rex alme, peto, votisquè peropto
Regnorum vt tradas fræna regenda mihi.
Num turbas curẽ Paſtor, [2] populosquè gubernẽ,
Ipſe mihi ſi vix imperitare ſcio?

1 Ro. 10. Corde .n. credit ad iuſtitiã: ore autẽ confeſſio fit ad ſalutem.
2 Apud Homerũ, Reges appellantur paſtores populorũ

Nec

Nec mihi theſauros poſco Crœſiuè, Midæuè,
Nec quas progignit terraquè, & æquor opes,
Quid mihi, diuitiiſquè? aſſeruĕnè insõnis vt illas,
Ceu vigil Heſperidùm ſulgida mala Draco?
An magis vt vario luxu, faſtuquè ſuperbo,
Veſtequè diſpliceam verſicolore tibi?
Regia nec connubia, vel pulchros Hymenæos
Poſtulo; Nanq; ab ſte diuidit alma [3] Venus.
Nec diſciplinas doceas, [4] ſeptemquè per artes
Ad culmen ducas, quod puer expetij.
Vndè meum æternis chartis in ſæcula nomen
Duret, & hoc reſonans fama ſub aſtra ferat.
Nã mea quid refert, ſi docto hìc lauder ab omni:
Atquè illìc tetro torquear igne miſer?
Siq; etiã extremis libroſquè, [5] & nomina, & orbẽ
Deſtruet, & cœlos ignibus illa dies,
Qua iudex mũdũ, & ſuperũ renouabis Olympũ,
Aſtra tuis Sanctis, Tartara dansquè reis?
At ſapiens [6] abſte votis hoc omnibus opto;
Hoc vnum lachrymãs nocte, diequè precor;
Vt tua me pietas, [7] & mens prædeſtinet alta,
Mequè tua interna ad grandia voce voces.
Ardua delectent: mundum, terrenaquè calcem;
Arctaquè aſpirem tendere in aſtra via.

3 Corin. 1 cap. 7. quĩ autem cũ vxore eſt, ſollicitus eſt q̃ ſunt mundi, q̃uo placeat vxori, & diuiſus eſt.

4 Encyclopędia.

5 Pet. 2. c. 3. In aduẽtum diei Dñi, per quem cœli ardẽtes ſoluẽtur, & elemẽta ignis ardore tabeſcent. Nouos verò cęlos, & nouã terram, & p̃miſſa &c.

6 Pſ. Vnã petij a domino, hãc reqrã, vt habit. &c.

7 Ro. 8. c. Quos aũt prędeſtinauit, hos & vocauit.

Æterna, haud ſpectata iuuẽt; [8] quęcunq; vidẽtur,
Deteſter; cęli in vertice mente vager.
Te ſine nil altum mens inchoat: eia age vitę
Spiritus, inſpira, me trahe, meq́; voca.
Me trahe, [9] nāq; ſequar poſt te veſtigia firmans;
Tu lumen, tu dux, tu via, tuq́; vigor.
Solum te videam, placeas mihi denique ſolus;
Sis mihi delitiæ ſolus, & omne bonum.
Te ſine qui vera es vitis, [10] non grata colono
Ipſe tuus palmes gignere muſta queo.
Quod ſi me afflaris, traxiſti Heroas vt illos,
Qui nunc iam Diui ſydera clara tenent;
Hanc carnem affligens, fugiẽs me, te ſequar vnũ,
Conſiliisq́; ardens obſequar ipſe tuis.
Quare me ſuperas rapiens tu iuſtus ad arces
Serto donabis, ſtelliferoq́; throno.
Illìc cum ſociis dulci tibi carmine grates
Per te, vere Deus maxime, Diuus agam.

8 Cor. 2. c. 4. Non contēplā tibus nobis quę vidētur, ſed quæ non videntur; quæ.n. vidētur, tēporalia ſunt; quæ autē non videnĩ, ęterna sũt.

9 Cant. 1. ca. Trahe me poſt te, curremus in odorē &c.

10 Io. 15. c. Ego sũ vitis vera, & pr̃ me[9] agricola eſt. Ego sũ vitis, vos palmites: q manet in me, & ego in eo, hic fert fructũ multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.

ELE-

ELEGIA IIII.

HOC, quod perpetua rapitur vertigine cœlum,
Quod Sole, & Luna, ſyderibuſq́ue micat,
Mortales, verbo, quo condidit omnia, fecit
Omnipotēs Diuûm Rex, hominumq́; pater;
Vt ſedes æterna foret pulcherrima veſtra,
Gloriam vbi induti, luciferasq́; ſtolas
Lætifica, atque immenſa ſua aſpiciatis in ora,
Quæ diuo aſpectu lumina fixa beant.
Illic cœlicolum innumeræ pulchro ordine parēt
Regi acies; Regem voce, manuq́; canunt.
Illic effulgent ſtellata palatia, quę vos
O deuota Deo pectora ſancta, manent.
Illic partitur Palmas, illicq́; coronas,
Ac [1] velut eſt, retegit ſe Deus ipſe ſuis.
At contrà hoc imo, quem vos calcatis, in orbe,
Telluriſq́; globo condidit omne malum.
Illic æternas flammas, adamantinaq́; Orci
Limina, carceribus fœta tenebriferis,
Illic horrēdumq́; Chaos, noctemq́; profundam
Abdidit, & Mortem, Cimmerioſq́; lacus.

[1] 1 Cor. 1. c. 13. Videm' nūc per ſpeculum in ænigmate, tunc aūt facie ad faciem.

Atque tremenda magis quàm cantauèra Poetæ
Tormenta,& colubros, tergeminosq́; canes.
Cœlos expulſos ibi pęnarumq́; miniſtros
Æternum uinxit,[2] Nubigenasq́; truces,
Qui variis ſontes plagis crudeliter vmbras
Excruciant,torquent,lampadibusq́; cremāt.
Quid ſatius ſuper aſtra Poli,decernite nunc vos,
Viuere cum Diuis,lætitiaq́; frui?
An ſub viſceribus terræ cum manibus vri
Ignibus,àc niuibus, perpetuoq́; mori?
At ſi (nam erectos vobis ad Sydera vultus,
Cernereq́; in cœlum conditor ille dedit;
Et Diis penè pares ratio vos fecit) ad aſtra
Impellit vos mens,æthereasq́; domos.
Carpite iter rectū,[3] quod vos perducit Olympū,
Aſperum,& anguſtū, mox facile, atq; breue.
Quod Deus in terras veniens monſtrauit ab alto,
Vt vos efficeret numina,factus homo.
Et procul a terris,ſuperos meditentur,& æthrā,
Veſtræ omnes curæ,factaquè,& eloquia.
Sic meritis clari hinc migrantes,aurea mundi
Mœnia ſcandetis, ſtelliferasq́; plagas.
Immixtiq́; choris ſuperùm ſpectabitis alma
Trini,atque vnius ſemper in ora Dei.

2 Eſa.34. & occurrent Dęmonia Onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum.

3 Matt.7. Intrate ꝑ anguſtam portā. &c. Quàm anguſta porta,& arcta via eſt, q̄ ducit ad vitam. Luc.13. c. Contendite intrare per anguſtam por.

Exin

Exin immutati,[4] atque immortalia amicti
Corpora, ſuprema cùm canet ille tuba,
In veſtri regno patris effulgebitis [5] vt Sol,
Iam verè facti, ò Gloria, cœlicolę.
At ſi pronarum viuetis more ferarum,
Spectantes animo, menteq́; sẽper humum;
Luminaq́; haud vnquã miſeri attolletis ad aſtra:
Inuitos cùm vos pallida Mors rapiet,
Ibitis in terræ vaſtas,[6] imasq́; cauernas,
Per quas caligo, Mortis & vmbra volat.
Ignis vbi ſine luce cremat; tractęq́; catenę
Et pœnæ, & gemitus, vinclaq́; ahena ſonant.
At ſi peccatis vincti maioribus: horum
Haud vos pęnituit, ſed magis vſque iuuant.
In terræ centrum penitus [7] properabitis, ignem
Paſſuri æternum, perpetuasq́; niues.
Denique terribilis cum iudicis ante [8] tribunal
Stabitis igniuomum, flãmiferosq́; thronos;
Damnati ex ipſo deturbabimini ad orci
Nubila pręcipites, Tartareumq́; Chaos.
Nil immutati,[9] ſed turpia membra gerentes,
Æternæ vt pœnæ vos magis excrucient.
Centimanus Briareus,[10] debellatiq́; Gigantes
Harpiyæ, & Sphynges, Gorgones, atq; canes.

Cen-

4 Corin. 1 c. 15. Omnes quidẽ reſurgemus, ſed nõ omnes immutabimur. in momẽtu, in ictu oculi, in nouiſſima tuba. Canet enim tuba.

5 Mat. 13 Tũc iuſti fulgebũt ſicut Sol in Regno patris eorum.

6 Iob 10. Ad terrã tenebroſam, & opertã mortis caligine, vbi vmbra mortis &c.

7 Mat. 12 Sic erit filius hominis in corde terræ. Iob 24. ad nimiũ calorẽ tranſiet ab aq̃s niuiũ.

8 Dan. 7. Thronus eius flamme ignis, rotæ &c.

9 Iuſti immutabuntur Cor. 1 cap. 15, & mortui reſurg. &c.

10 Eſa. 14 Infernus ſuſcitauit tibi Gigã.

Centauri,atq; Hydræ,flammatęq; ora Chimerę,
Et Pluto,& quatiens ſęua Megæra facem
Semper erunt vobis comites,illicq́; perenni
Pęna torquebunt,innumeriſq́; malis.

ELEGIA V.

[1] Auimã alloquiũ

QVID tibi cum terra, ſi ſunt[1] mortalia cuncta
Quæ viuunt, Lunæ quæq́; ſub orbe iacent?
Gaudia ne hic ſperas;lacrymarũ hac valle querelę
Si ſemper,luctus,triſtitiæq́; gemunt?
Mel ne voluptatũ guſtare hic, improba, credis,
Perlita ſi viru, felleq́; cuncta madent?
Crede mihi,cinerem,quicquid moliris,humũq́;
Quod ſapiat,terræ fiſſa,per ima volans,
Vnum obtruncabit pũctum,lapis obruet vnus;
Iuſtaq́; ſub terris,certaq́; pœna manet.
Quin magis in mentem veniat[2] cœleſtis origo,
O anima,& ſubeat conditor ille tuus.
Cuius opus iam ſis reminiſcere, cuius[3] imago,
Quodq́; omni nil te pulchrius orbe micat.

[2] Verg.6. Æn Igneꝰ eſt ollis vigor,& cœleſtis origo.
[3] Gen.1.c. & creauit Deus hominem ad imaginẽ, & ſimilitud.ſuam.

Paulò

Paulò cœlicolis minor, [4] expergiſcere ſomno,
Atque ipſam temet noſce, [5] monente Deo.
Spiritus eſt Deus, [6] esq́; eadem tu Spiritus, ergo
Quid tibi cum terra, corpora curue placent?
Aſpice quorſum hoc tot ſtellis ardẽtibus aptum
Condiderit cęlum Rexq́ue, ſatorq́; tuus.
Vt ſit nempè tuum regnum, ſupremaq́; ſedes,
Qua frueretis eo, gaudia ſemper habens.
Ergo age mundanũ ſapiens nunc excute viſcum,
Ac leuibus pennis alba columba vola.
Lætaq́; nubiuagos molire per aera greſſus;
Aggredere, haud ſupera deſtitueris ope.
Vt magnes lapis, ætheria Deus attrahit arce:
Spiritus & ſanctus te ſuper aſtra leuat.
Pulchra tuos oculos delectant? ſuſpice ſtellas,
Queis noctu innumeris æthra ſerena micat.
Et niueam Lunã, magnumq́; hunc aſpice Solẽ,
Qui terras luſtrans gignit, alitq́; fouens.
Quod rutilãs aurũ? quas gẽmas? quoſve Pyropos?
Quam formã humanã, quod muliebre decus
His tu contuleris? niueis ſed concita pennis
His iam prætereitis vlteriora pete.
Chryſtallum [7] penetrans, victrix iam ſede potire
* Qua ſuperos liquidis ignibus æther alit.

4 Pſalm. 6 Minuiſti eum paulominus ab Angel.
5 ideſt Apolline. cuius oraculo tribuunt. γνῶθι σε-αυτὸν.
6 Io. 4. c.

7 Cœlum cryſtal. Pſ. Et aquæ oẽs, quæ ſuper cœlos ſunt. & alibi. Qui tegit aquis ſuperiora eius. quamuis Greg. Ny. aquas Angelos intelligit.
*. i. cęlum empyreũ.

Et

Et nunc cœlicolas, nunc Heroasq́; ſaluta,
Illos qui tractus, membra domando, tenent.
Et nunc Reginæ cœli, Regiq́; ſupremo
Ex illa genito, cernua flecte genu.
Et nunc inuitata epulis accumbere Diuùm
Aſſueſce, & Nectar, Ambroſiamq́; bibe.
Si tales pateras libaueris, amplius haud tu
Terrenas cupies, regificasq́; dapes.
Has illi Hèroes libabant pectore puro,
Inde ſitim poterant ferre, ſimulq́; famem:
Si procul a terra ſublimibus incita curis
Sæpius hìc prudens ſiſteris ipſa gradum;
Non vret te vanus amor, neque gaudia falſa
Extollent, dubiam ſpesve fouebit iners.
Nec conturbabit metus, affligentve dolores,
Nec vario mundus turbine concutiet.
Pacem ſumma tenent; [8] & pace fruèris in illa
Ora, quam ſibi mens fingere nulla poteſt.
Nec te terrarum celſam contagia lædent:
Nec [9] magnū tumidis hoc mare merget aquis.
Aſt inter varios luctus lætiſſima viues,
Et ſolido curru ſæpè vehèris [10] ouans.
Nanque etiam tali auriga caro florida [11] gaudet,
Qui fragilem haud curis triſtibus excruciet.

8 Corin. 1 c. 2. Ocul⁹ nō vidit, nec aures àudiuit, nec in cor hoīis aſcē dit q̄ præparauit Deus his q diligūt illum.
9 Pſ. Hoc mare magnum, & ſpatiosū.
10 i. ſano corpore.
11 Pro. 17 Animus gaudēs ętatem floridā facit: ſpirit⁹ triſtis exiccat oſſa.

Sic

Sic læta in terris deges; at carcere poſtquàm
Terreno exieris, liberaquè alta petes;
O te felicem, Diuorum cincta phalange,
Qui te ex infeſtis hoſtibus eripient;
Stellantem patriam non iam peregrina ſubibis:
Nam verſabaris ſæpius hic in ea.
Atque inter ſuperos aſſiſtes grata Tonanti
Laudes lęta canens, perpetuumquè melos.

ELEGIA VI.

TE decus imperij, dare te cęleſtia [1] iura
Cellam Reginam, ſceptraq́; ferre decet.
Tu cape lora manu, ſenſus tibi flectere fas eſt:
Tuquè gubernatrix hanc rege dextra ratem.
Tuq́;, Anima, hāc carnē trahe, ne ſis fabula certè,
Si Currus Tauros, [2] Cornipedesve trahat.
Quid curare iuuat vaginam, [3] ornareq; gemmis,
Si miſerum gladium dira rubigo terit?
Ipſa es [4] Theſaurus ſupera ſeruandus in arce.
Quodq́ue gerit te vas, fictileq́uè, & fragile eſt.
Ne Ditem [5] dites Theſauro ditior omni,
Ipſa tibi placeas, teſtaquè diſpliceat.

1 Animā ſuam alloquit̄.
2 ἡ ἅμαξα τὸν βοῦν ἐλαύνει. Græca parœmia. i. currus bouē trahit. qn̄ præpoſtere quippiam agit̄.
3 Corpus vagina animę.
4 Cor. 2. c. 4. Habemus autē theſaurū iſtum in vaſis fictilibus.
5 πλοῦτος græcè, latinè Dis. Paranomaſia, vel annominatio.

Corporis atque tui tibi proponatur origo,
Quam claram faciet iam tibi primus [6] homo.
De limo corpus finxit, cum conditor illum
Formauit; limus veſtis origo tuæ eſt.
Verùm ſpiramen vitæ, [7] formamquè creauit,
In faciem inſpirans nobiliorem animam.
Sicquè ſua pulchra inſigniuit imagine pulchra,
Pulchrior vt non ſit Sol, neque Luna ſoror.
Quàm longè forma excellas, [8] eſt cernere clarè
A tunica quæ te tàm fabrefacta tegit:
Paruulus [9] vt mundus dicatur. Qualis in illa
Cernitur artificis cura, opifexquè manus?
Si tua tam pulchra eſt vagina, eia altius ipſa
Qualis ſis reputans, noſce tuam ſpeciem.
Tequè immortalem Deus, æternamquè creauit,
Tam pulchrum in lõga vt ſæcula duret opus.
Hei mihi, ſed longè iam te formoſior [10] ille
Cœlicolum Princeps Lucifer ille fuit.
Qui manè exoriens radiis fulgebat Eois,
At nunc Occaſum, Tartaraquè atra tenet.
Sũmã vnã ob noxã sũmo exturbatus Olympo,
Ignequè in æterno facta neſanda luit.
Illius exemplo quod nil tibi forma, nec ęuum
Proſit, tu diſce, & iuſſa Tonantis age.

Illius

6 Homo, ab humo. Adam, terrenus, vel terra rubra.

7 Gen. 2. c. formauit igitur Dominus Deus hominẽ de limo terræ, & inſpirauit ĩ faciẽ eius ſpiraculũ vitę. Forma hominis eſt anima, vt corpus materia.

8 Vide Lactãt. de opificio Dei. & Gre. Nyſſ. de imag. vel creat. hominis.

9 μικρο-κόσμος.

10 Eſa. 14 c. Quõ cecidiſti de cęlo Lucifer, q̃ manè oriebaris? Ezec. 28. ca. Tu ſignaculũ ſimilitudinis, plenus ſapiẽtia, perfectus decore, in delitiis paradiſi Dei fuiſti.

Illius impreſſam effigiem ne,candida,dele:
  In te quo ſeſe,gaudeat,ille videns.
Tum ratione Duce,vt caſta,almaquè [11] Minerua
  Qua cunctis Domina es piſcibus,atque feris,
Ipſa tibi imperita: pecudum nec more, ferinis
  Senſibus indulge: ſitquè inimica caro.
Æuum perpetuum tunc te,dilecta,iuuabit,
  In cœlo æternis ſi potiare bonis.
Non ſi ceu Tytij [12] iecur immortale,tuaſquè
  Fibras ęterno gutture mandat auis.
Hic follis terra eſt: terram petet,inquè ſepulchro
  Cum tu diſcedes,puluis inanis erit.
Huic ſi indulgebis nimis,atque vt bellua morem
  Huic male ſana geres,ac rationis egens;
Tu torquenda petes terram,experieris & ignem;
  Et cum conſurgens priſtina membra geres,
Corpore cum miſero geminatas impia pęnas
  Perpetiere gemens,perpetuòq; dolèns.
Si contrà hanc carnem ſapiẽs inuicta domabis,
  Affligesquè breui tempore,dura ferens;
Hic verè,inquè ſinu gaudebis: at hiſce ſoluta
  Compedibus,ſcandes lucida regna Deum.
Corpus at induta,vt lampas Phœbea micabis,
  Claraquè cum ſuperis aſtra tenebis ouans.

[11] Minerua apud Homerũ, dux Achilli, & Vlixi.

[12] Verg. in 6. Æn.

ELEGIA VII.

> 1 Cur homini liberum arbitriũ datũ a Deo.

VT me ſeruarem, ſanctisquè mererer Olympum [1]
Factis, dum rapio ſydera Marte meo:
Ac te ſpontè ſequor: liber ſum conditus abſte,
Arbitriiquè mei, Rex, opifexquè meus.
Nã mihi quod meritũ? quę laus? quę gloria? ſi tu
Me, ceu quadtupedẽ, ſumme Deus, traheres?
Aſt vbi libertas hęc eſt corrupta, parentes
Cum primi culpa iam cecidère pari.
Eneruiſquè labat maculata ab origine manans
Semper, & a terra, carnequè tracta ruit.
Infelixquè cupit cernens meliora, [2] probatquè,
Deteriora tamen, quęquè nocent, ſequitur.
Non a me quicquam quod ſit cœleſte, [3] bonũq;
Voluere, ſiue loqui, ſeu facere ipſe queo.
Ergo tuæ Ambroſię [4] ſucco me Gratia firmet,
Mequè tibi inſternat, Rex meus, atque paret.
Mequè tuę legis fręno compeſcat, apud te
Sum ceu iumentum factus, & ipſe rege.
Iam cape tu felix, ſapiensquè aſſeſſor habenas:
Et me quò quò vis flecte, monensquè trahe.

> 2 Ro.7.c. Video autẽ aliã legem &c.
>
> 3 Corin.2 c. 3. Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: ſed ſuffic. &c.
>
> 4 Mutuatũ ab Ouidi. Meta.2 vbi Horæ Solis Equos ambroſia paſtos inſternunt.

Nunc virga, ſcuticavè minans: calcaribus harmos
  Nunc ſodiens, illam currere coge viam,
Quæ cœli ad ſtellas anguſta, atque aſpera ducit,
  In qua me teneat hinc Amor, inde timor.
Ah quoties amens, [5] primęq́; calore iuuentæ
  Actus, (Nam memini, dum meminiſſe iuuat)
Pullus vt indomitus diſcrimina mille cucurri,
  Deuia dum peragro, & flumina trano furens.
Et iam collapſus pridem, præcepsq́; ruiſſem,
  Ni ſuſcepiſſet me tua dextra [6] potens.
FELIX, quē ſua non trahit, euertitq́; voluntas,
  Quiq́; ſuum prudens proiicit arbitrium.
Seq́; tibi tradit, Sapientia ſumma, regendum:
  Induit [7] ac te te, ſe prius expolians.
Et viuit non ipſe quidem, [8] ſed viuis in ipſo
  Tu vita exiſtens illius, atque anima.
Egreſſus fines, immittens æquora Pontus,
  Effrænis terram contumularet aquis:
Corrueret cœlum, diſiectaq́; ſydera cœli
  Errarent: vellet fulgere [9] Luna die.
Vreret & terras Phœbus, de more iugales
  Non agitans, natum ceu Phaëtonta canunt.
Nec ſeſe exciperent variantia grata viciſſim
  Tempora, lisq́; furens perderet omne genus.

5 Perſeuerat in allegoria. a Ver. Georgi. 3. Illas ducit amor trās Gargana, &c.

6 Pſalm. Dextera tua ſuſcepit me.

7 Ro. 13. Sed induimini Dominū Ieſum Chriſtum.

8 Gala. 2. Viuo aūt iam non ego: viuit verò &c. Coloſſ. 3. cū autem apparuerit Chr̄us vita vr̄a.

9 a fulgo, is. vt a feruo. Verg. feruere Leucatē.

Et cœco aſpiceres miſcerier omnia bello ;
Atque chaos eſſent æquor, Olympus, humus;
Ni tibi ſeruirent, parerentq́; omnia certa
Lege voluntati, conditor alme, tuæ.
10 Pſalm. ordinatione tua pſeuerat dies: qm̃ oĩa ſeruiunt tibi. Idcirco cuncta æterno ſimul ordine [10] durant,
Euoluitq́; vices mundus, adhucq́; viget.
E nutu, iuſſuq́; tuo nanque omnia pendent,
Et quod feciſti militat omne tibi.
Idcirco miſerum mea cum peruerſa voluntas
Pertrahit, èq́; tua me procul ire facit;
Ex homine heu fio tum bellua: ab æthere lapſus
11 Platonicè. Pſa. Comparatus eſt iumẽtis inſipientib. In terras, [11] atque in Tartara nigra cado.
Nec mihi tũ cõſto, neq; cõgruo, diſtrahor amẽs;
Exq́; omni vento ceu maris vnda feror.
Atq; vt arundo agitor, crebro velut Euripus ęſtu
Fluctuo : vt Ixion ſemper ab orbe rotor.
Nunquã mens eadẽ: nunc hùc, nũc diuidor illùc;
Mel aloe excepit, lætitiamq́; dolor.
Quapropter tu Pax animi, radiusq́; ſerenans,
Eſto auriga meus, dux, via, rector, amor.
Aura ſecunda meas attolle ſub æthera pennas,
12 Pſalm. Eripe me de luto, vt non infigar. Vt non infigar ceu Fera, [12] Susve luto.
Imbue me, plenumq́; tui iam numinis affla,
Chriſtifer vt fiam, menteq́; cęlicola.

Te

Te ſine moliri nil poſſum, porrige dextram,
Expurga maculas, pectoraq́; vre precor.
Nanq; caro in terrã ſimul, & mea prona volũtas
Me trahit, atq; oculos, cordaq́; paſcit humo.
Luminaq́; a ſuperùm domibus deflectit ad ima;
Quærere meq́; Orcum, perniciemq́; facit.
Denique me miſerum fallens poſt mille dolores
In mortem, & pœnas, & Phlegetonta rapit.

ELEGIA VIII.

HVNC [1] ingentem orbem bis ternis lucibus alti
E' nihilo eſt opifex dextra operata Dei. [1] Hunc mundum De[9] creauit pp hominem.
Vt tua, mortalis, diues domus eſſet, & æde
Hac facta, exin te condidit ille faber.
Auratum vt laquear, ſtellis ardentibus aptum,
Hoc cœlum appendit deſuper, atque rotat.
Hanc velut æternę Phębus, Phœbeq́; lucernæ
Alterno luſtrant lumine, & irradiant.
Vtq́; pauimentum, hãc herbis, & floribus ornãs
Strauit humũ; hinc fontes fudit, & ĩnde lacus.

Balnea ceu,fluuios; veluti viuaria fecit
Æquora,quę findas nauibus, atque nates.
Frugiferas ſyluas veluti pomaria plantans,
Hunc varia pennis aëra replet aui.
Et velut aulæa,& mulos, circum vndiq; montes
Erexit fœtos frondibus, atque feris.
Tam pulchra,atq; ingẽs tibi cõdita Regia verbo
Eſt ab Rege hominum,cœlicolùmq́; patre.
Tu verò quam nam Domino, fabroq́; ſupremo
Ædem condis,homo,delitiisquè colis?
2 Cor. 2. ca. 3. Dñs aũt ſpiritus eſt. SPIRITVS, atq; aĩus Deus eſt: [2] aĩosq; nitentes
Incolere,& puros gaudet,ouansquè tenet.
Ergo tibi hanc aĩam,cor hoc, mentemq́; volãtẽ
3 Cori.2. ca. 6. Vos n. eſtis tẽplum Dei viui ſicut dicit De⁹. qm̃ inhabitabo in illis. Hanc velut ædiculam dedico, [3] ſumme Deus.
Tu velut è tẽplo Patris olim,CHRISTE,[4] flagello
Cornutosquè boues,lanigerosq́; greges
Ipſe eiecisti tunc,vendentesq́; columbas,
4 Io. c. 2. Menſas euertens, æraquè diſiiciens.
Haud ſecus ex aĩa hac,ſupero dũ lumine luſtras,
Auri pelle famem,& crimen auaritiæ.
Terram exercentes,atq; in terreſtria pronas
Laſciuas curas exige,truxq́; tona.
Vt non ſit poſthac ſpelunca prophana latronũ:
At ſacrum templum,& manſio digna Deo.

Hanc

Hanc vbi purgarit radio tua Gratia puro,
Cum Patre, & ſancto Flamine, Chriſte, [5] veni.
Atq; habitans in ea, fragiles hos dum reget artus,
Atque ad te redeat, tu, mea vita, mane.
Terra fuit dudum meditans terreſtria: cœlum
Sit modò, Rex superùm, numine plena tuo.
Si te glorifico; [6] tequè hoc in corpore porto,
Ipſe tuum templum, & paruus Olympus ero.
Atque tuę charites ſimul, alatiq; miniſtri
In me aduentantes ſemper, vbique regent.
At contrà fugiens [7] me, nunquam lędet, ab aſtris
Ab ſte depulſus ſub Phlegetonta Draco.

5 Io.14.c. Et pater meus diligit eum, & ad eum veniem⁹, & mãſionẽ apud eos faciemus.

6 Cori.1. c.6. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.

7 Iac.4.c. Reſiſtite autẽ Diabolo, & fugiet a vobis.

ELEGIA IX.

OMNIA quę viſus veſtigans lumine luſtrat,
Et cœlum, & terras, ęquoraquè alta maris,
Me propter verbo è nihilo, Deus alme, creaſti
Vt Dominus veluti his perfruar, atq; iuuer.
At me, vt cœlicolas, te propter, Rector Olympi,
Feciſti, [1] vt ſpectem ſemper in ora tua.

1 Auguſ. De⁹ fecit omnia ꝓpter hominẽ, hominẽ aũt ꝑ ſe.

Obiecto vt tali me ſcilicet ipſe beares;
Te tua ad hoc bonitas traxit, [2] amorq́; mei.
Ecquid enim magis optandum, aut felicius, ora
Quam contemplari ſemper aperta tua?
Omne bonũ cùm tu ſis, & ipsũ deniq; pulchrũ,
A quo extat [3] pulchri quicquid vbiq; nitet?
Si tamen hic omni ſeruiſſem tempore vitæ
Iam tibi, ſeruaſſemq́; [4] ardua iuſſa tua.
Nam ſi ſudorem virtutis [5] in arce locaſti,
Noſq́; ſub hanc ducit longaquè, & alta via;
Nec Palmā manibus geſtat, [6] nec fronte coronā
Qui non decertans vicerit in ſtadio;
Quo, De⁹ alme, modo, pulcherrima p̃mia, temet
Ipſe dabis, præter quem nihil opto aliud?
(Omnia nanq; ex te, [7] per te ſunt omnia, & in te;
Æterna & vita eſt viſio clara tua)
Si carnem, & mundum, & Ditē nō vinco, tuoſq́;
Seruo ſermones, hìcquè laboro vigil?
Ergò tuus ſemper ſeruus, [8] iam ſanguinis emptus
Ingenti pretio, maxime CHRISTE, tui,
Obſequar vſque tibi Domino cœliquè, mariſq́;
Ab ſte qui nutu cuncta creata regis.
Gloria nā ſerui eſt quam maxima; [9] ſeruiat ille
Supremo Domino, cœlicolumquè patri.

Re-

2 Boet. — Verum inſita sũmi Forma boni liuore carens.
3 Boet. Pulcrum pulcherrimus ipſe mundum mente gerens.
4 Matth. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mād.
5 Heſiod. in ope. & dieb. τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν, &c.
6 Pau. Nō coronabitur, niſi q legitimè certauerit.
7 Ro. 11. 7 Q̃m ex ipſo, per ipſum, & ĩ ipſo sũt omnia.
8 Cor. 1. c. 6. empti n. eſtis p̃cio mag.
9 pro, ſi ſeruiat. Iuuenal. Græculus eſuriēs in cælum iuſſeris ibit. pro ſi iuſſeris.

Regnare eſt ſeruire tibi, Rex inclyte Regum,
  Ergo donec ero, ſeruiam & ipſe tibi.
Si rythmis ludam, rythmis tollaris ad aſtra;
  Carmina ſi condam, te mea Muſa canat.
Si chartas verſem: tua ſeu præcepta, tuasve
  Æternas laudes, magnave facta legam.
Si noctu ſurgam: te peruigil alloquar vnum;
  Dumq; ſilet mundus, ſydera mente petam.
Si lux prima rubet, ſomnoquè, toroquè relicto
  Pſalmis, atque hymnis, tequè, tuosquè canam.
Cogito ſi quicquam, curarum nubila pelle;
  Solus & hoc, ò Sol, corde [10] refulge micans.
Si ſumam de more cibos: pro munere iuſtas
  Grates obſtricto pectore gratus agam.
Si loquar, [11] enarrem meditans cęleſtia tantum:
  Tequè meum os laudet, te mea verba ſonent.
Si mare tranquillum, cœlum ſi nocte ſerenum,
  Solis & aſpiciam lumina clara die.
Si terram vario flore, & viridantibus herbis
  Ridentem videam, verequè læta ſola;
Concentusq́; auium virgulta per alta canentes
  Arrectis lætans auribus audierim;
Cunctorum authorem te agnoſcam, teq́; ſalutē;
  Perſoluam grates, & memor vſque tibi.

10 a fulgo, & a re fulgo.

11 Pet. 1. c. 4. Si qs loquitur quaſi ſermones Dei Theſſal. 1 c. 5. In omnibus gratias agite

Te veniente die, te decedente canendo
  Ducam omnes horas integer, atq; vigil.
Quin ſi languidulo declinem lumina ſomno,
  Cor ad te vigilet: ſomnia teque ferant.
Quid ni, ſumme, tibi famuler, Rex, omnia ſi tu
  Suppeditas, & me veſtis, aliſque tuum?
Te propter fragile hoc tenuent ieiunia corpus:
  Abſtineam vitiis, [12] ſubſtineamq́; mala.
Virtutesq́; [13] ſequar: ſi corpore verſer in orbe,
  Rapta inter cœli numina mente vager:
Hoc in ſeruitio fac me durare: ſub alis
  Sufficiens vires, protege, CHRISTE, tuis.
Vt migranti ad te mihi, Iuſtitiæque coronam,
  Et palmas iudex reddere, iuſte, queas.
Tunc quà cœlorum cunctus tibi militat ordo,
  Atque tibi parens iuſſa tremenda facit,
Inter felices animas famulabor & ipſe,
  Æternùm aſſiſtens, Rex meus alme, tibi.

12 Epictetus. ἀνέχου, καὶ ἀπέχου.

13 Pſalm. Declina a malo, & fac bonũ.

ELE-

ELEGIA X.

ERGO nos propter ſupero demiſſus Olympo [1]
Deſcendis caſtæ Virginis in gremium,
Nate patris ſummi, nutu qui ſydera torques,
Quemq́; colunt terræ, Tartara queq́; tremũt?
Exquè illa egreſſus, terris ſex luſtra vagaris
Ignotus populis, ſubditus atque tuis?
Hìcq́; famẽ, atq; ſitim pateris, magnosq́; labores
Perfers, atque æſtum, & frigora ſolus, inops?
Nec ſatis hoc, celſum pro me ni denique truncũ
Scandis, at opprobriis, verberibusquè ſatur.
Latronesquè inter geminos ſuſpenſus in alto
Ni caput inclinas, exanimisquè iaces.
Inſons tunè meo ſoluis pro crimine pęnas?
Pro me mortali tunè Deus pateris?
Heu quę nos propter pietas te tanta coegit?
Pectore quanta tuo vulnera fecit Amor?
Cur tua transfigit ſpinis Paliurus acutis
Tempora, ſi mens hęc eſt meditata ſcelus?
Cur geminas ſæuo fodiunt tibi vulnere palmas
Claui, ſi manus hęc eſt operata malum?

[1] Oratio ſeſe diuerberantis ad Chrm̃ crucifixũ

Ad

Ad mala ſi velox gemina hęc mea plãta cucurrit,
Cur tibi tranſadigit cuſpis ahena pedes?
Siquè cupidinibus cor hoc exarſit, & ira,
Cur tibi rimatur lancea dira latus?
Hi ſi peccarunt oculi, laſciua tuendo,
Cur tua velantur lumina, Morsquè tegit?
Demulxère meum ſi fercula blanda palatum,
Cur tibi fel ſedat, Myrrhaquè amara ſitim?
Siquè titillauit mea feruida membra voluptas,
Cur artus cædunt impia flagra tuos,
Sic vt nil in te fuerit, Rex maxime, ſani
A capitis ſummo vertice ad ima pedum?
Quare & vt infamis ſuperem faſtigia montis
Tecum, te mœſta cum genitrice ſequar.
Siue Crucem propriam tua poſt veſtigia geſtans
Iam lignum ſcandam dexter vt ille latro.
Nanq; ſub horrenti præacutis vertice ſpinis
Haud tenerum membrum luxuriare decet.
Ergo nunc crudo, mea dextra, armata flagello
Corpus in hoc ſæui, verberibusquè ſeca.
Ne pigeat: ſic, ſic ſcelera expurgare priora
Quæ tu patraſti ſanguinolenta, iuuat.
Hæc caro peccauit, dabit hęc caro sãguine pęnas.
Hæc tot delitias terga cruenta luant.

Vos-

Vosquè oculi, claræquè animæ, celſęquè feneſtrę
  Per quas Mors intrans[2] cor populata meũ eſt,
Fundite nunc flumen, ſcelerũ quod rore perenni
  Rextinguatquè faces, diluat & maculas.
Genua pedũ nunc vos pœnas date flexa vagorũ,
  Ad mala quod celerem corripuère gradum.
Caſtigent auidum ſacra nunc ieiunia ventrem,
  Illicitos guſtus ſic Gula fœda luat.
Suſcipe tu lachrymas, ſpecta tu verbera ab alto,
  Queìs meritã carnẽ, Rex tibi Chriſte, domo.
Maiores mereor pœnas, & Tartara mille:
  Sed quoniam pius es, tu miſerere mei.
Culpis parce meis, tua nam clementia culpas
  Exuperat cunctas, maxima, fine carens.
At ſi me torquere paras, & crimina pœnis
  Eluere; hìc crucia, hìc vre, piusquè ſeca.
Æternùm vt parcas, vt labe ego purus ab omni
  Cum tibi coniungar, ſydera celſa petam.

ELEGIA XI.

IN te peccaui, dum prodigus ipſe bonorũ
  Quę mihi tradideras, luxu, animoq; fluo.
Sat porcos paſcens, ſiliquis ſum paſtus abundè:
  In me regreſſus denique ſurgo miſer.

Atque

[2] Per feneſtras intrauit Mors. Ier. Thr. 3 ocul' m.' depredat' eſt animã meam.

Atque ad te ſapiens venio. pater alme, vocari
Iam non ſum dignus filius ipſe tuus.
Peccaui.[1] plures poterunt impellere cauſæ
Vt mihi tu parcas. Quod pius es genitor.
Errorem quod noſco meum: quod pęnitet: ore
Quod verè fateor, pectore multà gemens.
Quodq́; etiã ignorans feci; dũ inſanus ephębus
Æui flore nitens, tractus amore vagor,
Formoſæ captus facie, verbisquè puellæ,
Quæ furata meum cor erat, atque animum.
Eheu oblitus eram, pater alme, tuiquè, meiquè,
Exueramq́; hominem iam rationis inops.
At modo luſtrata cœleſti lumine mente
Te ſimul, & culpam denique cerno meam.
Atq; hanc deteſtor, fugioque. ad teque, beata
Confugio lux, & ſemita recta mea.
Qua nunc ingrediar, læuo nanque ante cucurri
Calle, ſub horriferam qui Styga pandit iter.
FELIX, a teneris tibi[2] qui deſeruiit annis,
Portauitq́; puer lora, iugumquè tuum.
Haud ſe ſędauit terrena labe, nec ergò
In te commiſſi criminis indoluit.
Acta nec illius per pectora culpa recurſat;
Tranquilla at cœli mente ſecreta petit

Cę-

[1] Plures cauſas adducit, ob quas petit vt ſibi ignoſcatur. pietas patris. agnitio erroris. vera pœnitentia. oris confeſſio. dolor internus, q̃ contritio dicitur. et ignorantia, qua pp ætatẽ tenebat̃.

[2] Ierem. Thren. 3. Bonũ eſt viro, cum portauerit iugũ ab adoleſcẽtia ſua

Cęlicolùmquè vnus [3] mundis dum peruolat alis
Te ſolum affatur, te fruiturquè videns.
Et quod ſyderea [4] perfectè hauſturus in arce eſt,
In terris libat Nectar, & Ambroſiam.
Ergo extende tuæ pietatis brachia clemens
In me, atque errantem ſuſcipe, blande pater.
Indue meq́; ſtolam primã, vt ceu conditus abſtè
Sum purus, placeam candidus vſque tibi.
In me corq́; crea mundum, [5] maculasq́; priores
Dele, vt te mundo lumine conſpiciam.
Vt ratis hybernis iactata furentibus vndis,
Dum ſub nimbifera ſydera nocte latent:
Ac fremit hinc Boreas, hinc humidꝰ intonat Au-
Illeq́; ſub Syrtes trudit, hic in ſcopulos. (ſter
Deſpondens animũ, iam iã mergenda profundo
Ingemit, & manes fracta, tremensq́; videt.
Haud ſecus effræna nimium feruente iuuenta
Dum cœli cęlat lumina culpa mea:
Et rapit hinc ſpirans, nouaq́; illinc dira Cupido,
In diuerſa trahor cœco ab Amore miſer.
Lethũquè, & pęnas iam iam periturus adibam:
Nec via vexato, ſpesvè ſalutis erat.
Cum veluti geminus Caſtor, tua fulſit ab alto,
Mequè opportuna gratia iuuit ope.

3 Quaſi vnus ex Angelis.

4 Corin. 1 c. 13. Cum aũt venerit quod perfectũ eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt.

5 Pſalm. Cor mundum crea in me Deus. & oẽs iniquitates meas dele. Mat. Beati mũdo corde, qm̃ ipſi Deum videbunt.

Com-

Commotos fluctus mulxit, ventosq; fugauit;
Et claro fecit fulgere cuncta die.
Hei mihi quã ſyrtẽ intrarã? in quãtaq́; Charybdi
Ipſe laborabam?[6] quæ propè Scylla latrat?
Iam procul aſpicio, portumquè ſaluto ſalutis,
Quem cupio tota mente ſubire gemens.
Hùc curſus, Deus, eſt; ne fidum ſubtrahe lumen,
Dum me per tutum hùc [7] deniq; ducat iter.

6 Quaſi à periculò modò ereptus.
7 Lumen gratiæ.

ELEGIA XII.

NON nè hoc me pp cęlum fulgentibus aſtris
Feciſti[1] ornatum, perpetuoq́; rotas?
Nonnè hunc formaſti Solem, Solisq́; ſororem,
Vt mihi præberent nocte, dieq́; iubar?
Nõnè hoc fudiſti tot fœtũ animantibus ęquor,
Vt lauer, vt piſcer, puppe per hocq́; vehar?
Aëraquè, & volucres, fluuios me propter, & ignẽ
Condis, & hanc terram, terraq́; quicquid alit?
Omnia ſubq́; meis pedibus tu ſubdis,[2] & omnis
Orbis hìc vt Domĩno militat vſque mihi.
Quinetiam ipſe tua me inſignis imagine vera,
Vnde immortalis viuo tibi ſimilis.

1 Hic oĩa ferè enumerat, q̃ Deus fecit ꝓpter hoĩem.
2 Pſalm. Oĩa ſubiciſti ſub pedib. ei⁹.

Om-

Omnipotẽs Deus & trinum quem faſſus, & vnũ
 Ipſe colo, & toto diligo corde tremens.
Et me prætereà redimis de faucibus Orci,
 Abluis & maculis ſanguine, CHRISTE, tuo.
Ac mihi flammiferi ſublimi in vertice cœli
 Sedem qua ſedeam, præmia magna, paras.
Vt cum cęlicolis, clariſq́; Heroibus illis
 Si merear factis, te ſine fine fruar.
Debeo meq́; tibi; ſed enim, Rex maxime, dextræ
 Hæc anima, hoc corpus ſunt opera alta tuæ.
Pro tot muneribus quæ das mihi, quæq́; dediſti,
 Quæq́; ab ſte ſpero, [3] quid tibi retribuam? [3] Pſalm. Quid retribuã domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?
Cur nõ ſemper amem, cur non te ſemper adorẽ?
 Et memori grates pectore ſemper agam?
Te ſolum, vel te certè ſuper omnia amabo,
 Eſto tu cordis flammaque, amorq́; mei;
Omnes humanos expellens victor amores.
 Quid mihi cum mũdi, Chriſte, cupidinibus?
Sat puer expertus didici quo felle ſagittas
 Imbuat alter Amor, quantaq́; damna ferat.
Ah valeat cœco quicunq; inſeruit amori
 Fęmineæ formæ tractus ab illecebris.
Quid ſit noſter amor neſcit, neq; nectaris hauſit
 Pocula, quæ claris porrigis ipſe tuis.

O vti-

O vtinam veluti noſtri tua pectora dira
Eliciens vndam, cuſpide fixit amor.
Sic, Rex alme, tui verbo transfigat acuto
Eliciens lachrimas, corda, cupido, mea.
Vt dulci, pie Chriſte, tui transfoſſus amoris
Vulnere, te propter ſaucius ingemerem?
Vtq; voluptates, quas appetit ebria turba,
Deſpicerem, dum non ſentio, nec ſapio?
O' fortunati tali quos altius ictu
Tu percuſſicti pectora tranſadigens.
Contextis illi velarunt corpora [4] ſetis.
Atque in ſpeluncis delituère [5] cauis.
Fortiter eſt alij lethumquè, [6] & vulnera paſſi
Per flammas, & aquam tranſiliere citi.
Hi præcingentes lumbos, [7] tibi cœlibe vita
Iam deuouerunt membra, animosq; ſuos.
Quę tu dictaſti permagna volumina [8] docto
Sudantes alij compoſuère ſtilo.
Ergo nunc meritò mundi ſuper aurea tecta
Per quæ verus Amor, paxq; ſerena volant,
Diui, & felices nimium potiuntur amantes
Te, Deus, æterno ſemper amore ſuo.

4 .i. ciliciis.
5 Monachi.
6 Martyres. Psal. Tranſiuimus per ignem, & aquam.
7 Confeſſores.
8 Doctores.

Libri Primi Elegiarum Sacrarum finis.

MV-

MVTII SFORTIÆ

ELEGIARVM SACRARVM

Liber Secundus.

ELEGIA I.

In Aſcenſione Domini.

ASTRIGERAS portas clauſas ab [1] origine mundi,
Vnius ob noxam, pandite, cœlicolæ.
Sydereas valuas, totumquè recludite cœlum:
Veſtra nouus plauſus caſtra per alta ſonet.
Cœleſtes inflate tubas, [2] lituoſquè perennes,
Orbequè in æthereo claſſica pulſa canant.
Ter ternis moti ordinibus procedite contrà,
Exeat occurrens obuia quæque phalanx.
Cui nã occurremus? cui recludemus [3] Olympũ?
Quisve triumphator mœnia noſtra petit?

[1] Pſa. Attoll. port. Angelos alloquiſ.

[2] Pſ. Aſcẽdit Deus in iubilo, & dñs in voce tubę

[3] Rñdent Angeli.

Maximus ille nouũ, noſtrumq́; indutus amictũ,
Veſter Rex ille eſt. [4] purpura nonnè decet?

4 Eſaiæ. Quare ergo rubrũ eſt veſtimentum tuum?

Ligno ille affixus, ligni iam damna rependit.
Cuſpidibus foſſus, mortuus inque cruce
Armatam Mortem proſtrauit, [5] & exuit armis,
Exuit horribili cuſpide vulnifica.
Tum penetrans Orci pallentia regna tremendo
Impete ferratas eruit ille fores.

5 Corin. 1. c. 10. Vbi eſt mors ſtimulus tuus? ſtimulus .n. mort. peccatũ eſt.

Atque reluctantes vinclis deuinxit ahenis
Terrigenas fratres, Enceladosque truces:
Amentemq; [6] Dei ſibi qui poſcebat honores,
Regnatorem Erebi fregit, & edomuit.

6 Eſa. 14. Similis ero altiſſimo.

Atq; arma eripiens nigrum [7] ſpoliauit Auernũ,
Captiuosq́; ſuos eruit è tenebris.
Secumq́; hos ducens æterna luce coruſcus,
Atq; immortali corpore victor adeſt.

7 Luc. 11. Cum fortis armatus &c. vniuerſa arma eius auferet. & ſpolia eius diſtr.

Aſpicite ardentes acies quæ ponè ſequuntur,
Vltorique Duci carmina læta canunt.
Cernite fatidicos vates, multaq́; verendos
Canicie Patres, laurigerosque Duces.
Sceptri feros Reges, animas ſpectate piorum,
Atque Sacerdotes, Pontificesque ſacros.
Elyſio in campo [8] qui expectauère tot annos
Illum, quem afflati iam cecinère diu.

8 In ſinu Abrahæ.

Pri-

Primi hi complebunt deſerta ſedilia cœli,
Milite cum prauo [9] Lucifer vnde ruit.
Illi intertextas aſtris iam mille coronas,
Milleq́; iam Palmas porrige, læta cohors.
Illius æthereas victricia ſigna per auras
Tollite. Dum lituo hic perſonat, ille tuba,
Æternas cytharas ſtellanti pectine pulſent,
Pæanasq́; alij, & ſacra trophæa canant.
Victor iò, bellator iò, tu Principe Mundi
Deuincto, prædas eripis è manibus.
Ceſſit & excubiis [10] Paradiſi flammeus ales
Iam tibi, cui gladium tradidit igniuomum.
Hactenus obſtructam miſeris mortalibus æthrā
Tu reſeras primus ſanguine, CHRISTE, tuo.
Tu cœlis terras [11] æterno fœdere iungis
Optima Pax, hominem conciliasque Deo.
Per te mortales erepti è faucibus Orci
En complent vacuos, æthereosq́; thronos.
Quas ergo referet tanto pro munere grates?
Quas cœlum laudes, quas tibi terra dabit?
Ingredere ò noſtrū decus, & ſuper omnia noſtra
Scamna tua aſcendat, regnet & alma caro.
Cur intrare iuuat tot per tormenta, [12] crucemq́;
O Rex, ſi regnum, gloriaq́; iſta tua eſt?

9 Pſ. Implebit ruinas.

10 Gen. 3 Et collocauit ante paradiſum voluptatis cherubin, & flammeū glad. & ad cuſto. viā ligni vitæ.

11 Pau. Ipſe eſt pax noſtra, q. fecit vtraque vnū. Mediator Dei, & homin. Chriſtus Ieſus.

12 Lucæ. Nōne hęc opor. pati Chrm, & ita intrare in gloriā ſuam?

Plauſibus his donec cœli conuexa reſultant:
Ætheris atque omnis militia alta fremit;
13 Pſalm. Aſcendit Deus i iubilatione
Authoriquè ſuo gaudens [13] dat iubila mundus,
Et reboat cantu regia magna Poli;
Tu Deus omnipotens redeuntē ſuſcipe natum,
14 Pater, fons, & origo deitatis.
Adquè tuam dextram, fons, [14] & origo, loca.
15 Io. 17. Opus cōſummaui quod dediſti mihi vt faciā.
Nanq; opus iniūctū abſoluit, [15] tua iuſſa peregit:
16 Philip. 2. Factus obediens vſque ad mortem.
Ad mortem vſq; tibi paruit, [16] alme parens.
17 Ambroſius.
Vtq; trophęum illum noſtrę amplexare ſalutis, [17]
Quod ſuſcepta magis vulnera clara decent.
Nam libertatis monimenta perennia noſtræ,
Vt pretiumquè ingens, illa coruſca gerit.
Vt quoties in nos errantes concipis iras,
Et iuſtus vindex tela triſulca paras;
18 Bernardus.
Te rutilis plagis, [18] & hiulco pectore paſſo
Placet, & excutiat fulgura ſumpta manu.
At tu, nate Deo, noſter Seruator, & orbis,
19 Pſ. Iter facite ei q aſcēdit ſuper occaſum.
Qui ſuper occaſum ſcandis, [19] & aſtra petis:
Quiquè ſedes Patris ad dextrā regnator Olympi,
Per mala quæ pro me paſſus es, atq; Crucem,
Per mortē, & tumulū, immortales pq; triūphos,
Et quos exurgens funere victor habes;
Quoſq; aſcēdēti ſuperos, ſummumquè tribunal
Æthra tibi gaudens, lætaquè terra dedit;

Fac

Fac modo me rapta conſcendere ſydera mente,
Diuùm miſceri, cœlicolùmquè choris.
Deinde tuũ membrũ arcana compage reuinctũ
Te, caput ò noſtrum, da ſuper aſtra ſequi.
Egrediens quà te ſuprema[20] ſede ſedentem,
Illaque ſuſpiciam vulnera pulchra tua,
Immenſis radiis Soles ſuperantia mille;
Inquè tuum vultum lumina fixa beem.
Ingrediens verò tunc altera paſcua certè
Inueniam, quę mi, Paſtor amate, paras:
Vberiora quidem. Cum Patre, & flamine ſancto
Nam te contemplans te celebrabo Deum,
Omnia condentem, nutuquè creata regentem,
Omniaquè implentem numine, Nate, tuo.
Atque voluptatis pelago[21] demergar in alto,
Vbertate domus ebrius, atque ſatur.
Tunc immortalis guſtabo Nectaris illas
Cantatas epulas, poculaquè Ambroſiæ.
Optatisq; tuis tunc[22] exultabo ſub alis:
Tunc in te ſpectans omnia,[23] cuncta ſciam.
Æternumquè bonis illis[24] tunc perfruar hęres
Per te, nate Deo, factus & ipſe Dei.

20 Ioa. Et ingredietũ & egredietur, & paſcua inueniet.

21 Pſ. Inebriabũtur ab vbertate domus tuæ. torrẽte voluptatis &c.

22 Pſ. Sub tegmine alarum tuarũ exultabunt.

23 Auguſ. Qui ſcientẽ cuncta uidẽt, q̃d neſcire poterunt?

24 Paul. Hæredes quidem Dei, cohæredes aũt Chriſti.

ELEGIA II.

DVM florem, rutilanſuè aurum, gemmamuè nitentem
Aut Lunam video, clara vel aſtra poli.
Siue coronatum radiis exurgere Solem
Aſpicio, hæc mecum voluo, taceſq; loquor;
Si tàm pulchra ſuis in ſepibus hæc Roſa vernat;
Si ſic hoc auri pondus ab igne micat;
Si bonus hic Adamas ita me capit, hicq; Pyropꝰ;
Et candore tuo, Cynthia plena, iuuas.
Si ſic delectat, ducit ſiue Heſperus aſtra:
Præuius aut Solis Lucifer exoritur.
Si ſic auroque, & ſtellis armatus Orion,
Atque Vrſæ geminæ lumina noſtra tenent.
Si naſcens ita flammifera mihi lampade Phœbus
Illuſtratque oculos, pectoraq; exhilarat.
Hem quantis radiis, quanta me luce iuuaret
Vnus cęlicolùm [1] quos prior ordo tenet?
Qua regina Deùm facie nunc illa ſerenat
Fulgida ſyderibus regna, ſuoſque beat?
Vt Rex omnipotens illius Virginis aluo
Editus, in noſtra carne refulget ouans?

1 Vnus è Seraphinis.

In quem

In quem defixis obtutibus [2] inclyta cœli
Proſpicere exoptat concelebrando cohors.
Ad maiora tamen, [3] ſcalæq́; ad culmina ſurgo
Scādere quò refugit, menſq́; tremiſcit hebes.
Quod iubar immēſū ſupero diffundit Olympo,
Quamq́; infinito lumine cuncta replet
Æternus Genitor, Natusq́; & Spiritus almus,
Trinusque, atq; vnus viuus, amansq́; Deus?
Omnia qui pulchra [4] hæc verè pulcherrimus idē
Omnipotens, ſapiens condidit è nihilo.
Adde quod vt veſtis veteraſcent omnia, [5] at ipſe
Idem eſt, principio, & denique fine carens.
Principium, finiſquè vnus. non illius vnquam
Tranſibunt anni, deficientuè dies.
Ergo te ſolum qui verè es, [6] ſemper amabo,
O pulchrum, per quod tot ſpecioſa nitent.
Hei mihi, [7] ſed nunq̄ potis eſt te cernere uiuens,
Ergo huius carnis vincula ſolue precor,
Vt ſpectare tuam faciem per ſæcula poſſim,
Quæ contemplantes efficit vna Deos.
Tunc ſatis, atque ſuper ſatiabor, [8] cū mihi Diuo
Clarè apparebit gloria magna tua.
Illa eſt Ambroſia æternans, & Nectaris illa eſt
Lætificans flumen, cælicolûmque dapes.

2 Pe.1.c.1 In quem deſiderāt Angeli ꝓſpicere.
3 Innuit ſcalā quā vidit Iacob in ſomnis ſtantem ſuper terram, & cacumen illius &c. &. Dominum innixū ſcalæ. Gen.28
4 Boet. Pulchrū pulcherrimus ipſū mūd. &c.
5 Pſal. Et omnes ſicut veſtimentum veteraſc. tu autem idem ipſe es, & anni tui nō deficient.
6 Exod.3 Ego ſum qui ſum. ὁ ὤν.
7 Non videbit me homo, & viuet.
8 Pſalm. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.

Cęleſtum hac vna paſcuntur Curia Diuùm,
Feliceſquè animę quę tua regna tenent.
O' vtinam intereà radium, lumenvè parumper
Ipſe tui hìc vultus mi reſerare velis.
Vt veri pulchri magno inflammatus amore,
Ante oculos id habens, nocte, diequè gemá.
Cunctaquè vileſcant, illi dum confero cuncta:
Arbitrer ac veluti [9] ſtercora deſpiciens.
Et meritò. Nam cur ſpecioſę forma puellę
Me capiet cœcum, ſi citò puluis erit?
Cur aurum ſitiam, gemmas cupiamvè micantes;
Coctanè me tellus Solis ab igne iuuet?
Cur nam faſtoſos affectem inſanus honores,
Si cruciant curis, deficientquè citò?
Ah pereat ſtultus quicunque creata requirens
Diligit, hicquè ſibi tot ſimulacra facit.
Atq; tibi vertens tergum, obliuiſcitur amens
Authoriſq; ſui, ſydereęquè domus.
Iure hinc vexantur miſeri tot Erynnibus atris,
Et lingunt ſemper, ſemper & eſuriunt.
Tu Pax, [10] tu requies, tu conſolatio noſtra,
Veraq; tu portans gaudia certa ſalus.
Tu mihi delitię, ſaties tu dulcis, Amorquè
Perfectus, ſummum denique, & omne bonũ.

9 Pau. Oĩa vt ſtercora arbitratus ſum, &c.

10 Pau. Ipſe eſt pax noſtra.

Ipſe

Ipſe tuam illuſtrans faciem, pulcherrime mõſtra
Seruo, qui captus flagrat amore tui.
Nã fateor, mihi tu teſtis, Deus optime, quò quò
Me verto, ſi non cerno tuam faciem;
Nubilaq́; & tenebras ſpecto: noxq́; incubat atra
Heu noſtris oculis, terrificumq́; chaos.
Theſauros, totum & mundum largire petenti
Cuilibet. haud mundum, diuitiasquè moror.
Mi ſat erit tua, Rex, facies. [11] faciemq́; requiram
Ipſe tuam ſemper, lætificumquè iubar.
Cernere nanq; eius felici in lumine [12] lumen
Æternum ſpero, perpetuumq́; diem.

[11] Pſalm. Quærite faciem eius ſp. &c. Faciẽ tuã Dñe requiram.
[12] Pſa. In lumine tuo videbimus lumen.

ELEGIA III.

IMMENSVM hoc cœlum, Phœ-
biq́; hanc lampada claram,
Lunaiq́; globum, ſignaquè, & a-
ſtra poli;
Æternasq́; acies ſuperum, numeroq́; carentes,
Aëraquè, atq; ignem, nauigerumq́; fretum:
Terrarũq; orbẽ, & terrarũ quicquid in orbe eſt,
Quadrupedes, homines, pẽnigerumq́; genus,
Om-

Omnipotẽs Deus è nihilo meditanſque, iubẽſq;
Condidit, & verbo quod libet ipſe creat.
Si volet ipſe, [1] Deum faciet te protinus vnum,
Viuereque æternum te ſuper aſtra dabit.
Ipſe dabit lætis epulis accumbere Diuûm,
Viuificameque manu porriget Ambroſiam.
Si tamen ipſius cęleſtia iuſſa capeſſes;
Et meritus fueris, [2] ore, manuque colens.
Ergo præclaris, ſanctiſque accingere factis,
Et dignum magno te quoque finge Deo.
Aggredere ò magnos, viuẽs hic ſãctus, honores,
Ætheraque inuicta concipe mente pius.
Nam qui te fecit ſine te, de faucibus [3] Orci
Ad cœlum non te, te ſine ferre poteſt.
Huncigitur mundum calca, præſentia temne:
Hancq; domans carnem, ſydera ſemper ama.
Nam longè maiora Deus dat præmia factis,
Vt Dominus diues, largus, & omnipotens.
Sed quid nam ſine te poſſum? niſi tu mihi dextrã
Porrigis, haud valeo ſurgere lentus humo.
In te ni maneo veraci, Rex bone, Vite,
Palmes ego haud vnquam fructificare queo.
Quod poſsũ, tibi me dono: [4] cor prębeo noſtrũ.
Me ceu iumentum quolibet ipſe trahe.

Syde-

1 Seipſũ alloqtur. Eccleſ. 39 Si .n. Dñs magn' voluerit &c.

2 i. verbo & opere.

3 Auguſ. Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te.

4 Prouer. Fili mi, p̃be mihi cor t. &c.

Sydereas tu me clemens [5] prædeſtina ad arces, [5] Rom. 8. Quos præ deſtinauit, hos & vocauit. & quos vocauit, hos & iuſtificauit.
Interiusque voca, iuſtificaque, Deus.
Tunc ego longa quidem potero ieiunia ferre,
Orabo ſemper, peruigilabo diu.
Et penitus mundũ vincam, carnemq; domabo,
Atque opere, & verbo, & corde placebo tibi.
Et tecum fiam, Deus optime, [6] Spiritus vnus: [6] Cor. 1. c.6. Qui ãt adhæret dño, vnus ſpũs eſt.
Semper & ad ſtellas, cælicolasque trahar.
Tunc mihi ceu ſanctis, clarisque Heroibus illis,
Vt merito poteris præmia digna dare.
Iuſtitiæque meum caput euincire corona,
Et Palma inuictam condecorare manum.
Cęlicolasque inter tunc me regnare iubebis,
Denique glorificans, efficiensque Deum.

ELEGIA IIII.

VERE nil vnum præter, Rex alme, neceſſum eſt,
Hoſpita [1] vt accepit ſedula ab ore tuo. [1] Luc. 10. Martha, Martha, ſollicita es &c. porrò vnum eſt neceſſariũ. &c.
Expertus fateor, clareque agnoſco, quod vnum
Spiritus id ſacer eſt, tuque, paterque tuus:

Fac

Fac ergo vt ſemper mediter te, ſumme creator,
Contemplerq; vnum, trineque, & vne Deus.
Vnum curarum ſignum ſis ipſe mearum:
Vnum te[2] noctu cornea porta ferat.
Materiesq; mei eloquij Deus vnicus eſto:
Teq; vnum præter nil mea verba ſonent.
Si condam, noſtris te ſolum intexere chartis:
Siue legam, de te perlegere alta iuuet.
Te ſolum, laudesq; tuas, cantataq; facta
Arrectis aſtans auribus accipiam.
Te ſolum aſpiciam, quò quò mea lumina flectã:
Inq; tuo ſemper nomine cuncta geram.
Nam mens vnita dum vi tibi fortior vni
Hæret, & a curis libera ſubtrahitur;
In te reſpirat, in te tranquilla quieſcit,
Sauciaq; æterno languet amore tui.
In te delitiis fruitur, quas dicere non fas,
Et veram pacem læta, ſilensq; tenet.
Seq; in te velut in ſpeculo conſpectat, & omnes
Emendat maculas, candidiorq; redit.
Tantumq; in te vno guſtans dulcedinis haurit,
Quantum non illi cuncta creata darent.
Nec mirum, nam tu fons Nectaris infinitus,
Tu lux es Mundi, veraque vita animæ.

2 .i. vera ſomnia. Ver. 6. Æneа. - quarũ altera fertur Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris.

Tu

Tu pax ſenſum oẽm excedens,[3] requieſq́; beata:
Tu ſummum pulchrũ, & deniq; es oẽ bonũ.
At contrà duce ſi ſenſu diſceſſerit abſte,
Adq́; hæc ima ruit, perq́; creata volat;
Protinus infelix nunc hùc, nunc ſcinditur illùc,
Haud quod quærit habens, irrequieta, vaga.
Deprimiturq́; (nefas) ſeſequè indigna volutat,
Labequè terrena commaculata iacet.
Fruſtraquè in terris ſolatia falſa requirens
Curarum variis fluctibus obruitur.
Cuncta creata ergo quæ me ſeducere tentant
Ab ſte, Rex, valeant, diſpliceantquè mihi.
Omnia nanq; mihi tu, tu mihi ſufficis vnus.
Quid ni ſufficias, ſi ſat es, atque ſuper?
Omnia nam per te conſtant, Iouis omnia plena,
Intus, & extrà idem cuncta creanſq́; regis.
Si per te te poſſideam, nil amplius opto:
At ſperno toto quicquid in orbe nitet.
Ceſſent terrarum Domini contendere mecum,
Ipſis cum longè ditior emineam.
Ipſi etenim partem, iamq́; amplius eſurientes;
Aſt ego iam totum poſſideo, idquè ſatur.
Ipſe igitur ſolus qui me, Deus alme, creaſti,
Quiquè redemiſti, me rege, mequè doce.

3 Pau. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum.

Om-

Omniaq; excludens, tibiq́; aduerſantia pellens,
Me te ſolo imple, celſaq; ad aſtra rape.
Pectoris atq; huius ſolus, precor, accipe claues,
Oſtiaquè obſerua, claudeq; ſemper humo.
Ac cœlo reſera pie Ianitor, optimequè hoſpes,
Hoſpes chare animæ, & dulce refrigerium.
Dulciaquè inſtaurans ſemper conuiuia, [4] mecū
Tu ſolus cœna, ſolus & vſque mane.
Inuitatus vt hìc à me, tu poſt modo in aula
Me ſupera inuites, Rex venerande, tua,
Ad cęnā illā Agni æternā, [5] dulceſq; Hymenęos
Quos exultantes Diiquè, Deæquè canunt;
Cumq; hilari plauſu iam læti epulantur, opimū
Nectar guſtantes, Ambroſięquè dapes.

4 Apoc.3 Intrabo ad illum, & cęnabo cum illo, & ipſe me cum.

5 Apo.19 Beati qui ad cęnam nuptiarū Agni vocati ſunt.

ELEGIA V.

SI cupis intrepidum [1] tranquillam ducere vitam
Cor, penitus terras deſere, & aſtra pete.
Ærumnas, gemitus, clamores, bella, tumultus,
Lamenta, & luctus, inſidiaſquè truces

1 Cor ſuū alloqtur.

Expe-

Experiere, vagum dum delectabere terra,
Exul ab ætheria, ſtelliferaquè domo.
Infelix, quid te capit, in terriſquè moratur?
Nũ gemmæ atq; aurum, [2] diuitięquè iuuãnt?
Si quibus ærumnis, quantiſque laboribus illæ
Cogantur, ſcires: quos pariantuè dolos:
Quamque inſomnis eas tueatur, & anxia cura,
Heſperidum vt ſeruans aurea mala Draco;
Quoue relinquantur gemitu, quantoque dolore
A Domino inuito, dum Phlegetonta petit;
His certè Ditis laqueis religarier vnquam,
Et ſpinis pungi talibus [3] haud cuperes.
Nũ tua purpureus perſtringit lumina ſplendor?
Vertit & ad ſeſe celſus honoris apex?
Siſyphus atque alter velles in vertice ſaxum
Siſtere, quod rapidum voluitur inde ruens?
At ſi tu noſſes cruciet quæ vita ſuperbos,
Regnaq; deſpiceres, ſceptriferosquè gradus.
Sed ſi te pulchris mulier delectat ocellis,
Formaque, & verbis, illecebriſque capit;
Quot vitia hæc eadem niueo ſub pectore celet,
Sæpèque formoſas alba ſepulcra, [4] puta.
Experiare licet: Scyllas, vaſtasque Charybdes
Has, & Sirenas experiere citò.
Quan-

2 Io. ep. 1. c. 2. Omne quod eſt in mũdo, cõcupiſcẽtia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.

3 Mar. 4. & alii sũt qui in ſpinis ſeminantur. hi ſunt &cę. & ærũnæ ſæculi, & deceptio diuitiarũ

4 Vt hypocritas ſepulcra dealbata apud Euangel. plena oſſib. mortuorum.

Quantorum fuerit reminiſcere cauſa malorum
Fęmina: propter & hanc bella, ferasq́; neces.
Pandora [5] ante oculos tibi ſit conficta Poetis:
Euaq́ue, quæ letho nos male cauta dedit.
Talia tunè, ergo, propter portenta, polorum
Sedes amictes, terga dabisq́; Deo?
Et ſi non aurū, nec honos, neq; fęmina amanda
Quid petis in terris, curuè vagaris humo?
Adde quod vt mundi fex eſt humus, & ꝙ in ipsā
Pondere [6] delatum corruit omne graue.
Tu graue ſemper eris, ſemper turbabere curis,
Terrarum donec te retinebit amor.
Nil eſt in terris tranquilli, nilquè ſereni:
Sed magnis turbis omnia plena fremunt.
Nonnè vides, quod dū vapor, [7] exhalatioq́; vda
A terra aſcendens aëris alta petit:
Protinus aut venti ſtrident, aut nubila denſo
Agmine coguntur: ſeu micat, atque tonat.
Siue niues, mixtavè ruunt cum grādine nimbi;
Siue Iouis dextra fulgura miſſa cadunt?
Ingruit aut turbo, triſti ſeu crine cometa
Naſcitur, igne micant ſeu per inane trabes.
At contrà quà non potis eſt pertingere terræ
Halitus, aut fumus; regna ſerena micant.

Ac

5 Vide Heſio. in op. & die. tot. argumen. Pandoræ deſumptū ab Eua ē, ſi quis benè pſcrutari voluerit.

6 Terra fex mūdi.

7 Vapor, exhalatio ſicca.

Ac ſemper tranquilla ſilet plaga proxima Lunæ;
Si verò vlterius ſcanderis, aſtra petens,
Omnia repperies æterna. perennia ſi te,
Et tranquilla iuuant, regna per illa vola.
Nec ſeptem Errones [8] clara te luce retardent; [8] Errones, ſic a Gellio vertũtur Planetæ.
Nam quid ibi præter lumina conſpicies?
Sphæra nec octaua ſtellis ardentibus apta
Te teneat, dum tot ſydera magna rotat.
Quamuis innumeris aſtris te paſcere poſſit.
At ſapiens ſuperas [9] exuperabis aquas, [9] Pſal. Et aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt.
Atque per Empyrei ſpatiare palatia cœli,
Ignibus æternis quæ radiata micant.
Illic cœlicolùm iuuet aſpectare phalanges,
Ordine quo ſedeãt, quos celebrentq́; choros.
Et quos æternos edunt cantuſquè, ſonoſquè
Accipe, dum Dominũ voce, chelyquè canũt.
Illic Heröum fulgentes aſpice turmas,
Quos cœlo, meritos ſydera, terra dedit.
Sedequè diſpoſitos, variiſquè in veſtibus; & quas
Palmas, quæquè manu gemmea ſceptra ferãt.
Tẽpora quamq́; gerant variis deuincta coronis,
Seu canis Violis, puniceiſuè Roſis.
Quæq́; his ordinibus, Paradiſo & p̃ſidet omni,
Quæq́; enixa Deum Virgo, parenſq; manet,

Reginam aſpicies, cui lumine Solis amictę
Biſſenis aſtris tempora cincta micant.
Illius exquè vtero natum ſine ſemine Regem,
Quem ſummi Cęli Regia cuncta tremit:
Qui latas terras, nutu qui temperat ęquor,
Omnia quiq́; ſuo numine plena regit.
Abſtractum a terris ſi ſic per culmen Olympi
Iam terrę oblitum tu volitabis ouans,
Imperturbatum ſemper mortalia, ceu non
Sint, nil curabis, ſola ſuperna tuens.
10 Paul. Nr̄a autē conuerſatio in cœlis eſt.
Atque erit in cœlis [10] tua conuerſatio ſemper,
Cumq́; ipſis magnis ſępe loquère Deis.
Et modò guſtabis quo poſt ſaturabere Nectar,
Quodq́; obliuiſci nos facit huius humi.
Cũ demũ penit⁹ moribũda hęc mẽbra relinques,
Quæ tibi finxiſti hìc gaudia, nunc meditans,
Dulcius aſpicies certè, & perfectius illic,
11 Paul. Quæ p̄parauit De⁹ his qui diligunt illum.
Ardenti [11] nam ſe præparat iſta Deus.

ELE-

ELEGIA VI.

In Sacratiſſima Pentecoſte.

O Mundi Princeps quondam, [1] iam limine mundi
Cede, ſub Inferno diſce habitare lacu.
Voſq́; poteſtates tenebrarum, [2] atq; aëris huius,
Ite procul: nam vos Tartara digna manent.
Templa prophana cadant, iaceant altaria dira,
Eq́; ſuis aris iam ſimulacra ruant;
Quid fruſtra argẽtum? quidvè ęs cõflatis, & aurũ?
Exprimit inciſum marmor, [3] eburq́; Deos?
Conticuère Dei, nec dant oracula genti:
Nã loquitur Dominus, [4] verus adeſtq́; Deus,
Quem non agnouit mundus formatus ab ipſo,
Prò dolor, at ſeruos eſt veneratus amans.
Iam Deus in terras aſſumpto corpore venit
Filius, ęterni veraq́; imago Patris,
Hunc manifeſtauit mundo, [5] ſanctumq́; daturus
Flamen, promiſſum Patris, in aſtra redit.
Ecce Amor, in Natũ Genitor quẽ pectore ſpirat,
In Patrem ſpirat Filius inq́; vicem,

[1] Io. Nũc Princeps mũdi huius eiicieſ foras.

[2] Ephe. 6 ſed aduerſus Principes, & Poteſtates, aduer. mũdi rectores tc. &c.

[3] Pſ. Simulacra gentiũ argentum, & aurum, &c.

[4] Eſa. Q̃m ego q̃ loquebar, ecce adeſſ

[5] Ioa. 17. Manifeſtaui nomen tuũ hoĩbus.

Quo ſtat cœlorum virtus, [6] quo pectora pleni
Vera aſpexerunt, [7] & cecinère patres,
Spiritus almus adeſt: [8] terraſq; impleuit, & orbẽ;
Pellat & vt tenebras cęlitus igne micat.
Iamquè vnum, Trinumq́; Deum caligine pulſa
Noſce: hunc perfuſus lumine, Munde, cole.
Illius & ſeruos iam [9] deteſtare rebelles,
Quos ille in terras expulit arce Poli;
Fraudibus innumeris qui te traxère ſub Orcum,
Dum iactant ſeſe numina vera tibi.
A Patre, & à Nato procedens, compar vtrique,
Ille Faber mundi Spiritus almus adeſt.
Non vt marmoreis tabulis horrentia iura
Cum tonitru, & fumo, cũ tuba, & igne ferat.
Vt rubro mare tranſmiſſo [10] ferè tempore eodem
Iſacidis Sinæ per iuga ſumma dedit.
Cordibus at teneris vt leges ſcribat amoris
Quas veluti natis dat [11] Deus ipſe Pater.
Quinquaginta ergo ſoles [12] patefecerat orbi
Lucifer inſignes, ob numerumq́ue ſacros;
Annos poſt totidem nam debita, [13] lege iubente,
Cuncta remictuntur, tum feriatur humus:
Ex quo de tumulo victor ſurrexerat Agnus
Qui peccata ſuo noſtra cruore lauit;

A Pa-

6 Pſal. Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorũ.
7 Prophetæ dicti ſunt vidẽtes. & viſiones ꝓphetię &c.
8 Sap. Spiritus Dñi repleuit orbẽ terrarum.
9 Angelos apoſtatas.
10 Exo. 19
11 Rom. 8 Nõ enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſ3 acc. ſpũm adopt. filiorũ Dei: in quo cl. abba pr̃.
12 Pentecoſte. id eſt Quinquageſima. vide Gre. Naz.
13 Annus Iubilæus.

A Patre, & à Nato cum miſſus ab æthere venit
Spiritus, ingenti cumque fragore ruit;
Dimiſſurus adeſt iam crimina, pectoraque ardẽs
Heroum Chriſti complet amore ſuo.
Atque ipſos ſuper in linguis ſe moſtrat,[14] & igne:
Nam balbis fandi tunc dabat author opes.
Linguaſque omnigenas opifex ſic ipſe docebat,
Ipſos percipere vt natio cuncta queat.

> 14.i.ling. igneis. Qui linguas infatium, vel blęſorum facit eſſe diſertas.

Quis tua, Trine Deus, referat myſteria tanta?
Quis dignè recolat prouida facta tua?
Cum poſt diluuium vaſtam,[15] cœloq; minantẽ
Conſtruerent turrim, quæ ſuperaret aquas,
Nembrothus, fratresque feri, ſæuiq; Gigantes,
Labrum vnum cunctis, vnaque lingua fuit.

> 15 Gen. 11 Erat autẽ terra labij vnius, & ſermonũ corũdem.

Sed quoniam in te coniurauerat impia turba,
Linguas confundis, diſiicis vltor eos.
Nunc verò quoniam præconia ferre per orbem
Hi tua conſpirant; pandereque aſtra piis;
Atque ſalutis iter populis oſtendere cunctis,
Sternere fallaces debuerantque Deos;
Cunctorum linguas horum reſonare per ora
Tu facis,[16] & meritò corda ſtupore reples:
Illis vnis enim in linguis idiomata ſparſa
Vnum quæ clarent, edoceantque Deum.

> 16 Act. 2. Stupebãt autẽ oẽs, & mirabantur.

Tum propriis liuguis illos audire loquẽtes
Omnigenas gentes, attonitasq; facis.
17 Cur in igne appa ruerit. Partitas linguas, [17] rutilantem oſtendis & ignem:
Nam tu culparum nubila luce fugas.
18 Deus nr̃ ignis cõſumẽs eſt. Ignis conſumens Deus es, [18] conſumis vt ignis
Nequitias noſtras, tergis & omne ſcelus;
Debita dimittens; tu nanque remiſſio noſtra es:
Dulciter atque vris pectora noſter amor;
19 Ignem veni mittere in terras, &c. Ignis quem venit in terras mittere, [19] quemq;
Ardere optabat filius ille Dei,
Tu mentes radijs illuſtras, cordaq; purgas,
Et ſurſum tendens celſa ſub aſtra rapis.
At vos Heroës, quibus æthere munera tanta
Detulit, afflauit quos Deus altitonans,
Dicite quæ vobis hic ſuggeret, oraq; plena
Soluite, & eloquij fundite iam fluuios.
Cui procul aſſurgat cedens facundia Graia,
Omneq; Romanum ſeruiat Eloquium.
Quid Iudæa furis? quid rides numine mentes
Diuino afflatas, clarificosq; ſonos?
Non hæc Ogygio ſunt pectora plena Lyæo,
20 Luc. 5. Sed vinũ nouũ in vtres nouos mittendũ eſt. At replent vtres [20] cœlica muſta nouos.
Non furor hęc agitat rabidi præcordia Phœbi:
Non vt tu reris dant ſine mente ſonos.

At

At qui per voſtros vates oracula quondam
 Vera dedit, nunc hos ſpiritus ille replet.
Diuerſasq; ſonans linguas afflata per ora
 Quem ſuſpendiſtis prædicat eſſe Deum.
Vos verò aduerſis opponite fortia rebus
 Pectora, magnanimi, Laurigeriq́; Duces.
Hoc Duce diſperſi gremium telluris obite:
 Per vos mundus eat ſub iuga vera Dei,
Quod ſi non acies, fera non vos arma ſequentur,
 Pro mille agminibus ſolus hic arma geret.
Bella geret, Lauroſq́; dabit, parietq́; triumphos,
 Cunctaq; Dux vobis per loca ſternet iter.
Talia nam per vos miracula, totq́; patrabit,
 Pareat vt iuſſis Orcus, & obſtupeat.
Ipſa genu vobis flectet Natura: capeſſent
 Imperia ardenti mota elementa fide.
O Piſcatores biſſeni, retia magno
 Quatuor ad ventos [21] tendite in hoc pelago.
Hoc Duce mortales, totum piſcamini & orbem,
 Vinciet hic mentes, [22] captaq́; corda trahet.
Affixumq́; Deum ligno [23] iam pandite mundo:
 Frangite, & infandos orbe fugate Deos.
Hinc in vos mundus, hinc Orcus bella mouebũt,
 Inq́; illos quos è Flamine [24] gignet aqua;

21 ad quatuor mũdi partes. hoc mare mag. &c.
22 Mat. 4 & faciam vos fieri piſ. hom.
23 Magnũ fidei nr̃æ argumentũ, vt duodec. piſcatores prędicantes crucifixũ conuerterint ad fi. vniu. mũdum.
24 Io. Niſi qui ren. f. ex aqua, & Sp. S.

Et veſtro ſpargent ſacrato ſanguine terras,
Vt pecudeſq; dabunt corpora veſtra neci.
Imperia at vobis tandem curuabitis, & Crux
Dia triumphabit, Ditis & horror erit.
At Paraclete Deus, per quem tot gaudia terris
Hocq; die cœlum iubila tanta dedit.
Noſtras ærumnas, noſtros ſolare dolores,
Dona te nobis, munus id opto Dei.
Alme Dei dextræ digitus [25] cœleſtia iura
Dulciter in noſtro pectore ſcribe, precor.
Sancte voluptatis torrens, fons viue, rigato,
Cordaq; fœcunda torrida rore tuo.
Vnge tibi ſacras interno chriſmate mentes,
Vt ſimus Reges, [26] Pontificeſquè tui.
Huius & ipſe animæ ſic vita, & ſpiritus eſto,
Vt per te ſpiret, viuat amore tibi.
At poſtquam exuerit mortalē libera amictum,
Tu face vt in patria, quam gemebunda cupit,
A Patre, & a Nato procedere cernat apertè
Te, claramquè Vrbem lætificare Dei.
Audiat æterna ter Sanctus voce canentes
Aligeros illos, [27] flammiuomoſquè choros.

25 Vocat. ἀττικῶς. Verg. Corniger Heſpe. fluui'. reg. aquarū. & Eccleſia, Agnus Del.

26 Reges, & Pontifices vngebātur. vnde vncti, & Chriſti Dñi dicti ſunt.

27 i. Seraphim. vide Eſaiā.

ELEGIA VII.

O VTINAM ſemper ſuperato monte liceret,
Ceu populi ductor legiſer ille tui;
In fumo, & nebula te dulcè audire loquentem,
Atq; inſpirantem iubila magna animo.
Nam tantiſper ego in terris reſpiro quieſcens,
Nectaris & ſtillam guſto, leuorq; miſer;
Quantisper faciē retegens, pater alme, coruſcam
Me, Deus, admittis, ſollicitumq́; foues.
Siue afflas vigilem per amica ſilentia noctis:
Seu procul à turbis per loca ſola rapis.
Nam veluti Moſen magni excepère tumultus,
Et raucus clamor, ſeditioq; grauis:
Cum ſacri montis deſcendens vertice lætus
Cum geminis tabulis caſtra ad iniqua redit.
Haud ſecus excelſo quando delabor Olympo,
Quo verbisq́; tuis, teq́; fruebar amans.
Heu quæ me excipiunt curæ, quantiq́; labores,
Qui cruciat clamor, qui gemitusq́; necant?
Extra te luctus reſonant, medicataq; felle
Omnia cōtriſtant corque, animumq́; meum.
Felix

Felix qui mundo penitus, penituſque relicto
  Incoluit ſyluas, antraque more feræ.
Contentus lectis ſylueſtri ex arbore malis,
  Aut fluuio, aut herbis quas bona gignit hum⁹.
Vt ſemper placidus te contemplando vacaret:
  Cœlicolùmque animo poſſet adeſſe choris.
Ieiunum & ſupero ſaturaret nectare pectus,
  Cui luxus cedunt, Regificæque dapes.
Me miſerum, turbas fugiens ſi claudor in Horto,
  Aut deſerta peto templa, cauoſque ſpecus;
Et recreor, dum te lacrymis tranquillus obortis
  Alloquor, & calidas pectore fundo preces:
Aut Pſalmos, Hymnosq; cano, ſeu perlego dicta,
  Ac tua ſacta ſimul, menteq; ad aſtra vagor;
Quod grauat hocc' aĩam [1] corpus tũ latrat inani
  Ventre, & ieiuno flagitat ore cibos.
Quantũ diſcrucior miſer, vt quã Cerberus offam
  Hic petit, inueniam? quæ loca non peragro?
Vt taceat ſatur, atque tibi ſeruire ſereno
  Me, laudeſque tuas dicere corde ſinat?
O vtinam veluti panem, [2] carneſque ferebant
  Corui Thesbiti, pelliferoque ſeni.
Cum famis, atque ſitis mala deuitaret ameni
  Ad tenues Carithi deficientis aquas.

1 Sap Corpus quod corrumpitur aggrauat aĩam.

2 Reg. 3. c.17. Helias. Cũq; abiiſſet ſedit in torrente Carith. Corui quoq; deferebãt ei panem & ca. &c. poſt dies &c. ſiccatus eſt torrens.

Vtque

Vtque ales eadem Paulo,[3] qui primus eremum
Incoluit, mirum detulit ore cibum;
Cui Palmæ ſoliis induto, fonte perenni
Saxoque emanans diluit vnda ſitim.
Sic mihi degenti per inhoſpita teſqua ferarum,
Clauſoque in cella miſſa volaret auis.
Ac iuſſas eſcas roſtro perferret, vt illis
Exigerem curas, eximeremque famem.
Tunc, Deus, ipſe tibi noctesque, diesq; vacarem,
Secretus mundo,[4] ſollicitusque nihil.
Et nũc cœleſtes Pſalmos modularer, & Hymnos;
Nuncque pererrarem ſydera mente tacens.
Omnibus atque horis orarem, ſiue canore
Inuitata auium fulſerit orta dies.
Seu nox ſtelliferis bigis inuecta ſilenti
Orbe pias mentes excitat, atque rapit.
Teque genu flexo, lectoue ſupinus adorans
Alloquerer, largo dum fluuio ora madent;
Nuncque tuas laudes numeris ordirer Ethruſcis,
Et canerem Diuos qui tua regna tenent.
Et iam miſcerer ſuperis,[5] iam viuus Auernum
Ingrederer, pęnas aſpiceremque graues.
Carmine nunc Latio dictatas molliter abſte
Odas concinerem, dulciſonaſque preces.

3 Paulus primus eremita.

4 Phili 4. nihil ſolliciti ſitis.

5 Iam. nũc. Verg. Iãq; hos curſu, iã pręterit illos.

Et modo ſeu Graios Doctores, ſiue Latinos
Perlegerem afflatos numine, CHRISTE, tuo.
Sic ſine labe dies tranſiret, & ocia nulla
Scirem, ſic ferret tædia nulla nemus.
Sic à me tua percoleretur vinea [6] ſemper;
Reddita quo merces veſpere grata foret.
Sic foret in ſummis mea conuerſatio cœlis:
Dum raptum mundo me tibi deuoueo.
Deniq; ſic moriens lætiſſimus immaculatam
Hanc animam efflarem, quam pius acciperes:
Electosq́; tuos inter, Diuosq́; locares
Stellis ornatam, [7] luciferaq́; ſtola.

6 Mat. 20 -- patri fa mil. q. exiit pr. ma. cond. operarios in vineam ſuam.

7 Stolam gloriç induit eũ.

ELEGIA VIII.

MAGNETEM chalybi vis admiranda maritat:
Ad ſeſe ſtipulas ſuccina flaua trahunt.
Et fluit, & refluit Tethys, cum Luna reſurgit:
Seu cum decedens iura dat illa mari.
Aſtrorum influxus varios animantia quæq;
Experiuntur aquis, experiuntur humi.

Cum-

Cumq́; mari tellus ſentit: ſentimus & ipſi
  Mortales, quid agant ſydera, quidvè ferant.
Quid memorem Solem, radiis fęcundet vt almæ
  Viſcera telluris, cunctiferumq́; ſinum?
Procreet vt gemmas, & tot diuerſa metalla?
  At cum per Tauri cornua vere redit,
Nonnè odoratis, & multi coloribus ornat
  Floribus, & viridi gramine ditat agros?
Induit & folijs plantas, oneratq́ue virentes
  Fructibus, ad Cācrū quos coquit inde vagans.
Nonnè & aues nidis, ſeu per virgulta canoras
  Euocat ad cantum mane nouo exoriens?
Et tu, ſumme Deus, verbo qui cuncta creaſti
  E nihilo, mundum qui regis omnipotens,
In me quem ratio, tua quemq́; exornat imago,
  Cœlitus inſpirans nil miſeratus ages?
Effectus non te dignos operaberis author?
  En ego terra rudis, tu, Pater, [1] agricola es. [1] Io. Et Pr̄ me' agricola eſt.
Arbitrij quod ſi libertas hoc vetat, vt me
  Non ſine me ſerues, quo magis hinc merear;
Ecce voluntatem propriam nunc exuo, meq́;
  Totum commendo, Rector amate, tibi.
En ceu iumentum domitum ſum factus apud te:
  Nunc lora accipiens quolibet ipſe trahe.

Tu

Tu velut informẽ argyllam, ceramuè ſequentem
Me forma. quod vis tu, Deus, ipſe volo.
2 Vt magnes ferrum. Arcana, quare, [2] vi ſpirans attrahe poſt te
Nunc me, & iunge ſacro ſemper amore tibi.
3 vt Luna mare. Meq; moue affulgens [3] cœleſti lumine menti.
Ad iubar increſcit protinus illa tuum.
Et Charitum influxu vario, Rex alme, tuarum,
4 vt Stellæ, Cœlũ, & ſol agũt in terrã. Fons vitæ, [4] de quo iam bona cuncta fluunt,
Charorum tibi factorum miracula conde
In me; pando tuis imbribus ecce ſinum.
Et generoſarum curarum gramina læta,
Ac flores in me ſuſcitet ille calor,
Quo tu Iuſtitiæ Sol frigida marmora rumpis:
Et ſoluis glacies, vnde fluunt lachrymæ.
5 Ioa. 15. & fructus veſter maneat. Sanctorumq́; operũ [5] manſuros gignat in æuũ
Fructus, queis merear ſcandere regna tua.
6 Zac. 3. Adducam ſeruum meum in Oriẽtem. & c. 6. Ecce vir: Oriens nomen eius. Luc. 1. In quib. viſitauit nos Oriens ex alto. ἡ ἀνατολή. Atq; tuis radijs penetrantibus intima noſtri
Pectoris illuſtrans, viuificansq́; ſimul
Virtutes in eo ſolidas, ceu clara metalla,
Et nitidas gemmas, noſter Apollo, crea.
Atq; tuo, ò felix Oriens, [6] ita guadeat ortu
Hæc anima, vt ſomnũ deſerat, atq; thorum,
Pſalmisque, atq; hymnis exultabunda ſalutet
Te, totaquè die ceu Philomela canat.

ELEGIA IX.

O FORMOSA Anima, atque authoris imagine ſulgens,
Quæquè immortalis ſpiritus hìc habitas.
Corporis hoc tumulo[1] nõ te decet eſſe ſepultam.
Ah pereant quæ[2] ſic terrea tecta colunt.
Bruta velut quod adeſt cernentia lumine tãtum;
Corpore ſed migrans liberiora pete.
Neuè volans humilis loca per depreſſa vagare,
Struthio ceu tardus, ſiue paluſtris auis;
Heu carnem curans, carniq; indigna miniſtrãs;
Vt ſapiens terram maxima turba facit.
Ancillæ Dominam famulari non decet. hoſti
Morem ſtulta geres, qui iugulare cupit?
O Theſaure, ſibi pretio quem ſanguinis emit
Filius æterni ſummus, Amorquè Patris:
Ne vas hoc quod te clauſum modo fictile portat
Te melius cures;[3] Nam cito puluis erit.
At quatiens puras quas contemplatio pennas
Aptat, ceu ſimplex alba columba vola.
Præterita & tecum, & præſentia, quęquè futura
Sint, tacitè euoluens, hæc meditare diu.

1 Plato in Crat. vult corpus dici σώμα, quaſi σῆμα, i. ſepulcrũ.
2 Iob. qui habitant domos luteas.
3 Geneſ. Puluis es, & in puluerem reuerteris.

Vt

Vt claram ratione, ſibi ſimilemque crearit,
Atque immortalem te Deus omnipotens.
Et regere hos artus reputa, atq; hac veſcier auram,
Vt Dominum agnoſcas, & famuleris ei:
Semper amans, ſemper laudans, potiaris ut ipſo
Inter cœlicolas regna ſuperna tenens.
Et modo, ne pecces, fugiaſq; has horrida pœnas,
Quanquam horres, intra, nanque redire licet;
Præcipiti ſaltu deſcende [a] in Tartara viuens,
Et percurre tremens pallida regna Erebi.
Pœnarum genera æternarum conſpice mille,
Et triſtes Furias, igniuomoſque lacus.
Aſpice ab ætherea deiectos ſede Gigantes
Qui ſontes manes ignibus excruciant.
Alternos ictus audi, tractaſque catenas,
Queis miſeros tundunt, perpetuoque ligant.
Ipſorum & lamenta, & luctiſonos vlulatus,
Diraſque exaudi, quas rabido ore ſonant.
Maioreſque tibi cruciatus credula finge
Quàm cantant vates, ſacraue ſcripta ferunt.
Aſt vt cœleſtis patriæ tangaris amore,
Quam propter, carnem, deſpiciaſq; ſolum.
Tartarea digreſſa domo, perterrita pennas
Ambuſtas arces tolle ſub aſtriferas.

[a] Pſalm. Deſcēdāt in infernum viuētes.

Lucen-

Lucenteſq; plagas ſuperans, ibi cerne phalanges
Cœlicolùm innumeras, diſpoſitoſq́; choros.
Atq; affare Deos, quos Rex ad ſidera vectos
Pro meritis varia ſede ſedere iubet.
Atq; ipſum Regem in ſolio fulgentibus apto
Aſpice ſyderibus, pronaq́; funde preces.
Illius ad dextram Reginam Sole coruſcam,
Cui cœli paret Regia cuncta, vide,
Perpetuoſq́; hauri cantus, quibus æthera mulcēt
Illi, dum laudant, concelebrantq́; Deum.
Et modo ab iſtius varij, & mirabilis orbis
Aſpectu, & rerum multiiuga ſpecie,
Seu circum, ſeu quas ſupra, vel conſpicis infra,
Ordineque, & motu, legeq́; perpetua,
Quā bonus, & ſapiens, q̃ ſit pulcherq́ue, potēſq́;
Ipſe opifex, tecum volue, ſtupensq́; puta;
Cuncta hæc è nihilo verbo qui condidit, & qui
Nutu conſeruat, temperat, atq; regit.
Et ſic iam notum ſuper omnia dilige grata,
Soliquè huic verò tu famulare Deo.
Et modo quæ pro te, reminiſcere, geſſerit idem
Factus homo. vt magni Filius ille Patris
Affixus ligno, paſſus ſit mortuus, vt te
Ex vmbris Orci, compedequè eriperet.

Vt te conſortem ſuperi, ſanctiq; Senatus,
Æternam & faceret, cœlicolamq; Deam.
Talia prudenti verſantes pectore ſecum
Illæ Heroum animæ, quæ ſuper aſtra micant,
Vt peregrinãtes moribundo à corpore, nunquã
Terreſtri hæſerunt, morbiferoq; luto.
At ſemper velut Accipitres, Aquilæque volantes
A mundi lachrymis, hacq; palude procul
Athera tranantes, tandem euasère ſupremi
Vſq; ad conſpectum, ſplendidaq; ora Dei.

ELEGIA X.

a Matt. 6 Quærite ergo primum reg. Dei, & iuſtit. eius: & hæc omnia adiic. &c.

FELIX qui mundum temnens [a] nil poſtulat abſte
Vnum te præter, celſaque regna tua.
Commoda nec carnis quærens hìc, iſta vel illa,
Terrea ſedato pectore dona petit.
Quod ſi non abſte voti reus ille recedet,
(Vt ſæpè euenit, contigit vtque mihi)
(Namque tuis non tu donas [a] terrena libenter,
Hæc genitor natis ceu nocitura negans)

a Luc. Nũquid pro ouo dabit ilii ſcorp. &c.

Vt ſeſe excruciat, quantumq́; affligitur ille?
  Deſpondens animũ quàm miſer aſpra gemit?
Te clauſiſſe ſuis lachrymiſque, & vocibus aures,
  Nec curæ eſſe tibi ſe dolet, & queritur.
E'q́; tuis oculis proiectum [3] ſe putat eſſe:
  Teq́; ſibi iratum, te rigidumq́; vocat.
Vota, preces, lachrymas rapuiſſe per aëra ventos
  Clamat, [4] & eſſe ſibi ſæua vel aſtra gemit.
At contrà gaudet qui paupertate, nihilq́;
  Flagitat à mundo; nil, niſi celſa ſapit:
Te ſolum petit, atq; ò terque, ò quaterq́; beatum,
  Quod petit intus habet, teq́; potitur ouans.
Nanq; tuis temet das ipſe libentius ipſum.
  Quid ni, cum ſis tu ſcilicet omne bonum?
Aſt heu cur miſeri terrena hæc poſcimus abs te,
  Si nos te propter linquere cuncta iubes?
Ergo relinquamus mundũ, mundanaq́; cuncta;
  Has deponamus protinus exuuias.
Fecit id & Crates, aurum qui merſit in vndis, [5]
  Ne abſorberetur fluctibus hauſtus opum.
Siq́; peroptamus damnari deniq; votis
  Abs te, poſcamus munera digna Deo.
Fortunatæ animæ, Diuas quas poſſidet æther,
  Quàm benè vos noſtis certa rogare bona.

3 Pſ. Ego aũt dixi i[n] exc. proiectus ſum a facie ocul. tuor.

4 Vergil. Atq; Deos, atque aſtra vocat crudelia ma.

5 Crates Theban. Ego vos demergã, ne vos me demergatis.

Solum nanq; Deum, cœleſtia ſola petiſtis;
Atq; accepiſtis: Nam Deus hæc tribuit.
Hæc tribuit Deus ipſe ſuis quos diligit, & queìs
Inter cœlicolas præparat alta locã.
Idcirco voti compos, ſemperquè beatã
Veſtrùm quæq; fuit, gaudet ibiquè magis.

E L E G I A XI.

QVID mirum, terrena Deus ſi poſcimus abſte:
Hunc cum terrarum feceris ipſe globũ?
Hácq; ab humo factã indueris me deniq; carnẽ?
Cum calcaris humum tu quoq; factus homo;
Vt mala quæ patior miſer hìc, expertus & ipſe
Tu mihi ſuccurras, compatienſquè iuues.
Adde, qđ haud opibus, magnaq; Tyrãnide fido;
[1] Pſ. Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in noīe Dñi Dei noſtri inuocabimus.
Exultent alij in curribus, [1] atq; in equis.
Nomine at ipſe tuo tantum confido. pupillo
Tu ſolus genitrix, tu ſoror, atq; pater,
Tu mihi dilectus frater, tu deniq; cuncta es.
Ergo cum tu ſis omnia, CHRISTE, mihi:

Cũcta quibus miſer indigeo, cur orphanus abſte
  Mi pater, haud poſcam, præſidiumq́; meum?
Nec terrena tuis ſemper, Rex magne, negaſti;
  Sensère Abramus, Filius, [2] atq; nepos. 2 i. Iſaac, & Iacob.
Ægyptumq; regens poſt mille pericula Ioſeph:
  Ex ouibuſq; Dauidq́; Regia [3] ſceptra gerens. 3 Pſal. De poſt fœtãtes accepit eum.
Diues in Aſſyria Iobbus, Danielquè Tyranno
  Medorum charus, iuraquè dans populis.
Quanquã haud diuitias ingentes, ponderaq; auri
  Abſte, nec cupiam iugera magna ſoli.
At ſyluam tantum; faceres vtq; ocia vellem,
  Quo tibi ſeruirem nocte, diequè vacans.
Nunc ſacra celſa canens, nũc exercẽſq; Camęnas,
  Nunc ſcribens, & nunc ſcripta notãda legẽs.

ELEGIA XII.

Ad Dominum Chriſtum de Confeſſione.

QVAS tibi, Nate Deo, tanto pro mu nere grates
Nunc referam?[1] laudes quas celebrabo tibi?
Non hirco, aut vitula facio, non ariete cæſo,
Et tu dimittis debita cuncta mihi?
Illi dum fateor qui pro te commodat aures,[2]
Quiq́; ligare animæ, & ſoluere vincla poteſt.
Nec mirum: Nāte, quē victima[3] priſca figurat,
Crimina qui Mundi diluis, Agne Dei,
Infinitus Amor Patri Crucis obtulit ara,[4]
Pro meq́; incendit, criminibuſq́; meis.
Quis peccatorum pondus,[5] faſceſq́; prementes
Excutit hac anima, meq́; repentè leuat?
Sic vt flammiferis Eliæ ſcandere bigis
Aſtra mihi videar, menteque ad alta rapi.
Quæ tunc dextra potēs me faucibus eripit Orci?
Quis maculas noſtras abluit Oceanus?
Tartara qs claudit? quis tūc mihi pādit Olympū?
Quis mihi tunc placat, conciliatquè Deum?

1 Victima pro peccatis. vide Exo. Leu. & Epi. ad Hebr.

2 Sacerd. cui data ē poteſtas ligandi, atque ſoluēdi aīas.

3 .i. oēs victimæ, q̄ immolabantur in vet. lege.

4 holocauſtū, i. totum combuſtum.

5 Pſ. Et ſicut onus graue grauа. ſ. ſ. me.

San-

Sanguinis iſta tui ſunt tot miracula, CHRISTE,
Quem poto, quo me tu redimenſquè lauas,
At quis, ſumme pater, [6] pietatis viſcera magnæ,
Quis dignè memoret brachia paſſa tuæ?
Vix me commiſſi peccati pœnitet; [7] ore
Vix illud fateor, vix veniamquè precor.
Cum me ſurgentē pius excipis obuius, [8] & dans
Oſcula, & extendens in mea colla manus,
Induis albentem tunicam, [9] ſimilemquè priori
Quam primus noſter perdidit ille parens.
Atq; ſaginatum vitulum illū apponis edendū, [10]
Cuius delitium Regibus alma caro eſt. [11]
Ipſe Hymenææis me poſt ornabis [12] in æthra
Veſtibus, & duces in penetrale tuum.
Atq; Agni Sponſi lætis accumbere menſis
Tunc dabis, [13] æternus queìs Hymenę⁹ adeſt.
Quæ diſcumbentum geniali voce reſultant,
Quas hilarant cantus, lætificantquè lyræ.
Queìs indeficiens epulantes ſponſus, [14] & Agnus
Paſcit, & exſaturans eſt cibus, eſtquè dies.
Immortale ſuos iam Nectar inebriat ille,
Æternaquè Deos efficit Ambroſia.

6 Luc. 15. Vidit illū pater ipſius, & miſeric. m. e. 7 Pnĩa. in ſe aũt reuers⁹. Cōfeſ. Pf pe. ĩ cę. fra. fac me ſicut. 8 & ſurg. ven. ad p. & accurr. cec. ſ. collum eius. & oſ. e. e. 9 cito pferte ſtolã primã, i. innocēt. 10 & adduc. vitu. ſag. & occidite. qa poſt cōfe. accedim⁹ ad ſumēdã Euchã. 11 Pinguis eſt pa. Ch. & præbebit delit. Regibus. 12 Veſtis nup. Apo. 19. gaudeamus, & exult. qa venerunt nup. Agni 13 & vxor eius pręp. ſe. & c. 21. ſicut ſpō. or. vi. ſuo. 14 Andrę. Agnus q ſacrificat⁹ eſt, ĩteger pſeuerat & viuus.

ELEGIA XIII.

In die Sanctiſsimi Corporis Chriſti.

MAGNA, ſatiſq; quidem [1] conuiuia lauta fuère
Omnia queìs cedunt quæ celebrantur adhuc,
Quæ Rex Aſſuerus, vel maximus Artaxerſes
Medis, ac Perſis, Principibusq́; ſuis,
Atq; ſagittiferis Suſis, [2] populoq; parauit
Quà dabat hinc vmbras Hortꝰ, & inde nemus.
Præter regificos luxus, epulaſq́; ſuperbas,
Quæq́; miniſtrabant aurea vaſa merum,
Præter & auratos lectos, Pariaſq́; columnas,
Et picturatum, marmoreumq́; ſolum,
Vndiq; pendebant ſuper [3] hæc tentoria vincta
Contorto è byſſo, funeq́; purpureo.
Sed tanto maiora parat conuiuia nobis
Rex cœli, quanto vincit Olympus humum.
Hocq; magis, quod vera eſca eſt [4] hìc illius alma
Sancta, immortalis, viuificanſq́; caro.
Quam ſigno, ſoloq; [5] Ceres tegit alba colore.
Quod verus potus, lætificanſq́; merun

Illius

[1] Vide Heſter c. j.

[2] Proper. Non tot Achæmeniis armātur Suſa ſagittis.

[3] i. ſuper hæc conuiuia. Heſte. j. & pēdebāt ex omni parte tētoria &c. ſuſtētata funibus byſſinis, atq; purpureis

[4] Ioan. 6. Caro em̄ mea verè eſt cibus, & sāguis meus verè eſt potus.

[5] Tho. Signis tātū, & non rebus.

Illius eſt ſanguis, quem Bacchus odore, ſapore
Deludens ſenſus, atq; colore tegit.
Suſtentent hæc [6] ſigna velut tentoria picta
Hinc rubicundus Amor, indequè cana Fides.
Et dites lectos altaria ſacra putemus,
De quibus æternus ſumitur ille cibus.
Quid ni veletur? ſigno ſub vtroquè tegatur?
Cernere nanq; Deum quì potuiſſet homo?
Huic ſi non acies potis eſt affigere Soli,
Illius æterni qui micat vt radius?
Si Moſes faciem [7] nimio ſplendore coruſcam
Velabat, poſſent cernere vt Iſacidæ;
Immortale ſuum quì non [8] velamine corpus
Qui Mundi lux eſt vmbret, & ora Deus?
Hanc poſuit menſā [9] veniens Sapientia ab alto,
Miſit & ancillas, hùc fatuosquè vocat.
Hūc Panē appoſuit, vinumq; hoc miſcuit almū:
Quis non ſtultus edat, non ſitiensq; bibat?
Hebræo populo deſerta [10] per aſpra vaganti
Deſuper altitonans roſcida mella pluit.
At viuum Panem, [11] qui iam deſcendit ab aſtris,
Dat nobis, cuius Manna figura fuit.
Exultans menſam quis non accedat ad iſtam,
Qua mortalis homo guſtat, editq; cibum,
Quo

6 Alludit ad conui. Aſſu. ideſt Charitas, vt funis purpure9; & Fides, vt fu. byſſinus.
7 Exo. 34 ſed operiebat ille rur. faciē ſuā, ſi qñ loquebat̃ ad eos. 2. Cor. 3. c. Ita vt nō poſſent intendere filij Iſrael ĩ fac. Moyſi pp glo. vult eius.
8 Io. Ego ſum lux mundi.
9 Prou. 9. Sapientia &c. miſcuit vinum, propoſuit menſam ſuam. miſit an. &c. & inſipiẽtib. locuta eſt; ve. com. panē meū, & bib. vinū quod miſ. v.
10 Pſ. Et pluit illis māna ad manduc.
11 Ioa. 6. Ego ſum panis viuus, q de cœlo deſceh. & pr̃ m. dat vo. panem de cęlo ven.

12 Pſ. Panē Angel. mand. hō.

Quo ſuperi ciues menſis [12] epulantur in illis,
Et ſaturi gaudent, perpetuóq; canunt?

13 Sap. 16 Angelorū eſca nutriuiſti populum t. & paratū panē de cœ præſti. ill. ſu. lab. Omne delectamentum in ſe habentē, & oīs ſaporis ſuauitatem.

Quiq́; voluptates comedēti præbet, [13] & omnes
Delitias, vitaq́; datq́; perenne frui.
Hunc panē, hoc vinū: carnē, propriumq́; cruorē
Melchiſedech verax [14] obtulit ille patri.

14 Melch. vide Gen. Pſal. & ad Hebr.

Diſcedens hoſpes patriam dum viſere geſtit,
Perq́; iter inceptum pergit adire ſuos,
Charius id quod habet dulci tunc munus amico
Cuius digreditur tardus ab hoſpitio,
Eſſe ſui donat monimentum, & pignus amoris;
Duret vt æternùm fœdus amicitiæ.

15 Ioann. Iterū relinq. mundu, & vado ad pat.

At tu, Nate Deo, qui nos, [15] mundumq́; relinques
Ad Patrem vadis, regnaq́; ad alta tua,
Qđ nā das munus, monimētū & pignus Amoris
Eſſe tui nobis? hoſpes auarus abis?
Horreſco meditans, ferueņsq́; per ima recurſat
Oſſa calor, pectus mutuus vrit amor.
Obſtupeat cœlum, totus miretur & orbis,
Atq; genu flectens ardeat omnis homo.
Cęlicolæ inuideant. munus tam grāde relinquis,
Exprimere vt verſu clauda Elegìa tremat.
Te pignus donas. poteras quid linquere maius?
Diſcedenſq́; vnà, maxime CHRISTE, manes.

Diſce-

Diſcedis, ſurſum dum clara in luce refulges,
Cęlicoliſq́; palàm detegis ora tua.
Nobiſcum at remanes mirando in ſacramento,
O' cęlate Deus, verus [16] & Emanuel.
Nanq́; ea Hieruſalē, atq; Eccleſia tuta triūphans
Præmia te ſentit, [17] te decus omnes tuis.
Quæ verò in terris [18] treis contra militat hoſtes
Omnia ſemper ouans te Duce bella gerit.
Illic contemplatur Amor te lumine aperto,
Aſt hìc obnuptum te colit alma Fides,
Corpore toto ardēt [19] penetrare in corp⁹ amātes,
Vnius & vellent corporis eſſe duo.
Hinc tu verus amās penetras in pectora noſtra,
Quæq́; ſubis tectus credula corda moues.
Ardentisquè animæ optatis amplexibus hæres,
Quam tibi ſic idem copulat almus Amor;
Vt tecum verè fiat tunc [20] ſpiritus vnus,
Saucia tunc verè languet amore tuo.
Nec tali amplexu vellet diuellier vnquam.
Quas fundit lachrymas? quos gemitusq; ciet?
Iubila quæ ſentit, [21] nouit quæ ſuſcipit illa,
Inquè ſinu verè gaudet, [22] ouansquè ſilet.
Tauros mactabant, hircos, aliasquè bidentes
Antè Sacerdotes, [23] Pontificesquè ſacri,

Fœ-

16 Deus nr̄, Deus abſconditus Emanuel. Eſa. i. nobiſcū Deus.
17 Se regnans dat in præm.
18 .i. aduers⁹ carnē, mūdū, & diab.
19 Lucre. in 4. lib.
20 Cant. Vulnerata charitate ego sū, &c. Quia amore lāgueo.
21 Apoc. Quod nemo ſcit, niſi q accipit.
22 In ſinu gaudere dr̄, qui tacit⁹ apud ſe de re quapiam voluptat. ſentit.
23 Vide ad Hebræ.

Fœdabantq́; ſolum, muros, altaria ſparſo
Sanguine, mugitu dum ſacra templa ſonant.
Crimineq́; obſtricti populi peccata piabant
Igni incendentes grata holocauſta Deo.
At nunc (quis meritò pietatis viſcera tantę
Non admiretur? quis celebrare queat?)
Pro mundo Agne Dei mactate ab origine Mũdi
Mente Patris ſummi, proq; ſalute mea,
Tu, tu deſcendis mirabilis Hoſtia ab alto
Tegmine ſub Panis, ſub ſpecieq́; meri,
Illa tua arcana dum promit verba Sacerdos;
Offers teq́; Deo crimina noſtra lauans.
Vt noſtris ſemper tua mentibus [24] obuerſetur
Paſſio, ſit noſtro in pectore viua, recens.
Agne Dei cuius typus inclytus extitit Agnus
Ritè epulabantur quo prius Abramidæ;
Cuius & vnguebant effuſo ſanguine poſtes,
Iret vt obtruncans inde [25] Megęra procul:
Quottidie noſtras tu tu deſcendis in aras,
Dum te te eliciunt [26] æthere verba tua.
Teq́; meum Solem ſurgentem mane ſaluto:
Quo ſine, totus abit mi ſine luce dies.
Contigit a cœlo cui genti gratia [27] tanta?
Cui preſtò ſemper ſic Deus ipſe fuit?

24 ſub ſacr. mi. paſſionis tuę memoriã reliquiſ. i. Mat. quotieſcũque feceritis in mei me. f. Cor. 1. c. 2 Hoc facite in meã comm.
25 .i. Angelus percuſſor.
26 Apud Ou. in Fa. Iuppiter elici', q̃a quibuſdã verbis a cœlo eliciebatur.
27 Exod. Non eſt alia natio tã gr. quæ hab. Deo. app. ſicut adeſt nob. Deus nr̃.

Semper

Semper nobiſcum miſeris mortalibus eſſe
Certè delitiæ, [28] CHRISTE, fuère tuæ.
Horrendā at quoties ego mēſam accedere ad illā
Audeo, teq; cibum ſumere non vereor:
Efficis hanc animam Paradiſum, gaudia tanta
Apportas præſens, ſic mala cuncta fugas.
Pectus & hoc paruum cęlum tunc eſſe videtur,
Cum radiet purum, ſuſtineatq; Deum.
O' Rex omnipotens, triplex cui machina ſeruit,
Quiquè ſupercilio condita cuncta regis:
Sic ſeruire tibi me fac, dum veſcier aura
Hac ſinis, vt merear regna tenere tua.
Ac velut vmbella cruſti in candore latentem
Hìc ſacris aris te video, atque colo;
Sic ibi detecto vultu, celſumquè ſedentem
Regali aſpiciam, ſtelliferoquè throno.
Cur non exoptem verbo qui cuncta creauit
Cernere? cuius opus ſunt freta, terra, polus?
Qui me formauit, fuſoquè cruore redemit,
Quem mihi dat potum, carne cibatquè ſua?
O' verè felix, alboquè notanda lapillo
Lux, mihi quæ Diuo gaudia tanta feret;
Talia quæquè dabit ſpectacula ſedibus illis.
Tunc ſatur ipſe ſatis, tuncquè beatus ero.

28 Pro. Et delit. meę eſſe cum fil. hom.

ELEGIA
XIIII.

DVM ſapiens mecum prudenti corde voluto
Quam tu ſis nitidus, cœlicolęquè tui.
Et quod cõpoſitus tibi nõ ſit[1] purus Olympus,
Aſtraquè nigreſcant æquiparata tibi.
Quodquè illã auratã nil[2] fœdit intrabit in vrbẽ,
Quæ calcat Lunam, ſydera, Solis equos.
Quodq; ſuperuacuo mihi[3] Iudicis ante tribunal
Pro verbo ſtandum eſt, crimine proquè leui.
Præſentem quoties febris mihi torrida mortem,
Seu dolor intentat, ſeu bona cura refert;
Deficio, horreſco, gelidus tum corpore manat
Sudor, & os pallor occupat, oſſa tremor;
Nam pęnę ſubeunt, quibus exercentur in imis
Speluncis animę, flammiuomiquè lacus:
Queis ſcelus exurunt miſeræ, veterũquè malorũ
Supplicia expendunt, quo nitidæ aſtra petãt.
Pur-

1 Iob 1. Et cęli nõ ſunt mundi in conſpectu ei⁹
2 Apo.21. Nõ intrabit in eã aliqd coinquinatum.
3 Mat.12. Dico aũt vobis, qm̃ oẽ verbũ ocioſum, quod locuti fuerint homines, reddẽt rationẽ de eo in die iudicij.

Purger & vt citius, hìc opto libentius aſpras
Pro te mille cruces, milleque͡ ferre neces.
Quo procul ex illis volitans, Rex alme, triũphans
Ingrediar Martyr mœnia celſa tua.
Iam me ſecernit populo, iam crimen vt anguem
Me vitare facit, dicere ſacra iubet:
Iam labe exterſam conuertit ad æthera mentem
Gratia cœleſtis, ſpernere mandat humum.
Aſt oculis hauſtæ turbant [4] præcordia formæ,
Et fando inficiunt [5] plurima dicta animum:
Verbaq; commaculant vacuas demiſſa per aures.
Sic hi tres hoſtes in mea [6] damna ruunt:
Qui ſæpe immittunt placidæ phantaſmata mẽti,
Sæpe in diſtracto pectore bella cient.
Quare ò qui pennas niueas, [7] celeresque͡ columbę
Det mihi, queis ſolus per iuga ſumma volem?
Qui me Gargani nemoroſo in vertice ſiſtat?
Qui ducat, Michaël, per loca ſacra tibi?
O' vbi Frangeſtus? [8] curarum frangeret æſtus
Ille mihi ſyluis, vmbriferiſque͡ iugis.
Illius ipſe inter lucos, tacitaſque͡ ruinas,
Quà ſacrata Deo templa vetuſta patent,
Gnatia felici quæ Palladis arbore cingit,
Alterno canerem nocte, dieque͡ choro.

4 Aſpect' pulchrar. fęminarũ

5 In mul ti'pq. non deerit peccatum

6 i. viſus, locutio, & audit'.

7 Pſ. Quis dabit mihi pennas ſicut columbę, & volabo.

8 Frangeſtus, Mõs amœniſſimus, ĩ extremo Apennino, 7. miliar. a Monopo. diſtãs. in quo vetuſtæ, ac dirutę villæ viſunt.

Ac tibi, Chriſte, placens agerē tua ſacra ſacerdos.
A mundo viuens, criminibuſq; procul.
Temnere tunc mortem, ſæuas euadere pęnas,
Lucida tunc auſim ſcandere clauſtra Poli.

Libri Secundi Elegiarum Sacrarum finis.

MVTII SFORTIÆ
EPIGRAMMATΩN SACRORVM
LIBER.

In Natiuitate Domini: ad Dominum Chriſtum.



CVR nocte in media tu
naſceris, alme creator?
Ecquid opus Sole eſt, Sol vbi naſcor ego. Chriſtus reſpõdet.
Naſceris in media cur, infans inclyte, bruma?
Nequitiæ expellem frigus vt igne meo. Chriſtus.
Maiori cur in nocte anni? texerat orbem
Nam nox errorum maior, & inſcitiæ. Chriſtus.
Cur non in patria, per iter ſed naſceris antro?
Mũdus hic hoſpitium, patria in arce poli eſt. Chriſtus.
Altius ingreditur cur Sol? me lampade noctes
Nam minui, & luces creſcere debuerant. Chriſtus.
Salue vera Dei ſoboles, lux vnica mundi,
Cuius in exortu nox, tenebreq; cadunt;

Hem quantis, & quot tacitis rationibus, iſta
Sacra nocte micas Virginis ex vtero.

De eadem.

VIDIT vt exoriẽs Eoa Phębus ab vnda
Inſolitis noctem fulgere luminibus.
Et Dominum Mundi caſta de Virgine Natum
Edere vagitus, ac radiare ſpecu.
Inuidia tactus, Quantum tibi, Cynthia, dixit,
Et quantum vobis, ſydera, ego inuideo?
Vos tanti teſtes, ſpectatoresq́; fuiſtis
Virginei partus, lęta, beata nimis.
Cœlicolùmq́; choros audiſtis dulcè canentes,
Heu cur non licuit his & adeſſe mihi?
Sic ait, & Dominum veneratus, protulit orbi
Plus ſolito fulgens, candidiorq́; diem.

Ad Dominum Chriſtum in die Circunciſionis.

HOC roſeo, ſacroq́; die quo frigidus annum
Inchoat, ac Phębi Ianus equos reuocat.
Et quo, Chriſte dies octo iam natus IESV
Accipiens nomen, ſanguine tingis humum.

Largiri de more ſolent pergrata viciſſim
Xenia, quæ ſtrenas voce vocant latia.
Aſt ego nudus inops quæ nam tibi xenia mittã?
Quod vas gemmatum, quasvè dabo tunicas?
Omnia ſi eripuit ſors inuida? quod potis ergo
Sum, tibi ceu ſtrenam largior, hoc cor habe.

In eodem die.

Sanguine vt ablueres mũdũ, Rex maxime Regũ,
Veniſti, egreſſus Virginis è gremio.
Atque vt adimpleres legem, ſub lege parentis
Factus; & hęc eodem tempore vera doces. Prop. Hoc eodem ferro.
Nanque implens legem, iam circũcideris infans;
Et cum vagitu fleſque, doleſq; Deus.
Totius atque vt dans pretioſi ſanguinis arram
Inficis heu guttis ſanguineis gladium.
Salue vere Deus, mundi Saluator IESV,
Prodige me propter ſanguinis, atque animæ;
Annueq; vt felix nouus hic modò trãſeat annus;
Annosq; æternos da mihi in arce Poli.

In Epiphania Domini.

Zach. Ecce vir. Oriens nomen eius



NASCERIS ipſe Oriens, ſydusque Oriente refulget.
Sydera cui cedunt, cedũt & ipſe dies.
Treisq; Orientales triplici cum munere Reges
Ad te conducit, aſtrologosq; Magos.
Gẽtibus, Hebræisq; Oriẽs æternus oriris
Sic intra bis ſex, Sol meus alme, dies.

Aliud.

Cœlicolùm Hebræis agmen te nuntiat ortum;
At gentes natum præuia Stella docet.
Vocibus, & ſignis ſic te demonſtrat Olympus;
Sic monitus Dominus mundus adorat ouãs.

In

In Aſcenſione Domini.



PANDERAT Infernũ moriens
Rex Chriſtus, at idem
Exurgens pandit limina clauſa
Poli.
Iam ſtix atra patet, patet alti ianua
Regis:
Hùc, illùcque oculos verte, & vtrumque vide.
Gaudia iam cœli, iam pœnas reſpicis Orci,
Elige tu liber quod magis eſt animo.

De eadem.

PANDE, Aurora, diẽ; pandit Sol Chr̃s Olympũ
Luce ſub hac ſcandens æthera victor ouans.
Et vos vt radios immittens lumine luſtret
Pandite, mortales, pectora pura Deo.

Ad Chriſtum de fidei hoſtibus.



EHEV nulla poteſt humana re-
ſiſtere nunc vis
Immani Turcæ, terribiliq; Scy-
thæ.
Omnia proſternit, capit omnia,
ſubruit omnia;
Omniaq; affectans omnia penè tenet.

Iamq́; Aſiæ dominus Libyæ nos expulit oris:
Et reliquæ Europæ vincla minatur hians.
Parte alia infandi Lutheri ſigna ſequuntur
Galli, Germani, Sauromatæq́; truces.
Extremiq́; hominum Morini, ſæuiq́; Britanni,
Quosq́; Arctos damnat frigore perpetuo.
Ergo vbi ſancta fides, pro qua tot Martyres olim
Sanguine iam fuſo mortem obière feram?
Cultus vbi nunc ille tuus, quem funera paſſus
Nobis liquiſti, Rex pie cœlicolùm?
Fluctuat en Petri ratis, expergiſcere CHRISTE,
Nanq; perimus, age ò, ſurge age, & affer opẽ.
Et qm̃ haud tantis humana potentia monſtris
Stare audet contrà, tu gere bella, Deus.
Iſa. Cape arma, & ſcutum, &c. Arripe iam ſcutũ, gladiumq́; ardentiaq́; arma, &
In noſtrum auxilium ſurge age, ſurge Deus.

In Purificatione D. Mariæ Virginis.

SI te peccati næuus non inficit vllus
Clarior ò Phœbo, candidiorq́; niue.
Cur vt purgeris, templum petis, inclyta virgo,
Præſentans natum, iuſſaq́; dona Deo?

Quid,

Quid, num virginei pateſecit clauſtra verendi Virgo re-ſpondet.
Noſtri vteri, naſcens maſculus iſte meus?
Verum (impleret enim non vt iam ſolueret ille,
Aduenit legem quam dedit Abramidis)
Illeq́; nec reſerans aluum, neq; crimine lęſa, Exo. Omne maſcu linū adaperiēs vul uam, &c.
Ipſa, ambo facimus iuſſa tremenda Dei.

In Aſſumptione eiuſdem Virginis.




VT Sole, & Luna, ſtelliſque arden-
tibus æthram
Extra exornari iuſſerat oĩpotens.
Sic intra voluit noſtra ſplendeſcere
carne
Præter cœlicolas lucida Regna Poli.
Filius humano pręfulgens corpore Sol eſt;
Huius & a radiis Luna MARIA micat:
Aſtraq́; ſunt Sãcti, qui poſtmodò carne nitebũt,
Quamuis nunc animæ clauſtra per illa volẽt.
Ipſa igitur hac luce ſacra ceu candida Luna
Affixa æthereis, alma MARIA, globis,
Noctibus in ſęcli cœcas oſtende ſalebras,
Detegeq́; hoſtiles, te precor, inſidias.
Vt per te ſoſpes patriam contingere poſſim
Natus vbi ſplendet Sol, vbi vera dies.

In D. Ioannem Baptiſtam.

ideſt, Malachias & Eſaias. Gabriel Angelus.



Fatidici vates, qui te cecinère: tuiq́;
Ortus mirandi nũtius alipotens:
Cana parens ſterilis: & ſpiritus almus in aluo
Te iam ſanctificãs, efficiẽsq́; virũ:
Te puerumq́; puer grauida cum Virgine matre
Inuiſens Chriſtus, quem colis exiliens:
Agnus & iſte Dei, quem nõ tantũ indice prodis
Baptiſta, at ſacro in flumine tingis aqua.
Saluator qui te cœlo iam laudibus æquat,
Et flos virgineus, palmaquè martyrij,
Efficiunt vt non vatem, pluſquamq́; prophetam
Solùm, vel Sanctum, Semideumvè putem:
Sed magis vt quodam magnũ te numẽ honorẽ,
Sede exaltatum, Lucifer vnde ruit.
Præcurſor Domini, vox verbi, ardensq; lucerna
Æterni Solis, ſis memor, oro, mei.



In D. Petrum Apoſtolum.

Petre priꝰ lino tu piſcabaris, & hamis
Piſces, dux ſociùm, nauigiiq́; leuis.
Poſtmodò ſed verbis regna es piſcatus, & vrbes
Factus Apoſtolici Duxq́; pr̃q́; chori.

Antè

Antè recludebas ſagenas piſce refertas
Excurrens tumidi cærula terga maris.
Inde premens Orcum claudis ſimul, atq; recludis
Stellantes portas clauiger æthereus.
O mundi Princeps, quantum mutatus ab illo
Piſcatore es, qui retia traxit inops?
Sic infirma Deus delegit, & infima mundi, Pau. Infima huius mundi elegit De⁹, vt fortia cõfunderet.
Vt nimis elata, & fortia deprimeret:

In eundem.

IN cruce dum pendens terras tu vertice ſpectas
Petre, animo excelſo ſydera ſumma petis.

In D. Paulum Apoſtolum.



NON tot Alexander populos bellando ſubegit,
Haud Perſæ Reges, Romulidæq́; Duces.
Quot ſermone Dei, gladio penetrantior omni
Pectora qui ſcindit, duraq́; corda ſecat:
Tu Paule armatus, gentes ad ſydera ducis,
Cogis & æterno ſubdere colla Deo.
O mucro, & fulmen Chriſti, tuba Flaminis almi,
Cuius voce Polus pulſus vterq́; ſonat.

In

In D. Ioannem Apoſt. & Euang.



Piſcator quõdã diuina voce magiſtri
Tactus, nauiculã deſeris, atq; patrẽ.
Diſcipulusquè Dei factus, quę nocte ſuprema
Illius è ſacro pectore combiberas,
Euomis, atque tonans verbi myſteria pandis
Exuperans omnes; ſic Aquila alta petis.
Felix, a Domino velut eſt Eccleſia Petro,
Sic eius mater virgo relicta tibi eſt.
Scriba Dei, & Virgo, Martyrq; & maxime Vates
Veſpere qui mundi certa futura vides:
Salue &, Ioannes, nobis tu proſpice, ſiue
Inferus, aut ſuperus te Paradiſus habet.

Ad D. Iacobum Apoſtolum.



PRIMVS ad Hiſpanos tendis, penetraſquè tonando
Chriſti, ſed miris clarus, Euãgeliũ.
Inde redis, Solimamq́; oram, ac Samaritida terram
Semine tu ſpargis Diue ſalutifero.
Pręmia iam reſtant, mercandaque ſanguine fuſo
(At geminatus honos) Laurea digna tibi eſt.

Accipis,

Accipis,& calicem potas, promiſerat olim
Quem tibi Rex ſuperùm, dasq; caput gladio.
Ad Dominumq́; volas ſerto hoc inſignis, ab alto
Primus Apoſtolico, Sancte Iacobe, choro.

In D. Matthæum Euang.



Mammònam linquens, Chriſtum es Matthæe ſecutus,
Tu, nũmis cęlos, ſyderaq; anteferẽs.
Theſaurosque tuos ſupera depònis in arce
Quà neq; latro rapit, nec tinea atra vorat.
Qualis at hoc propter fuit immutatio rerum?
Syngrapha ſcribebas, ſcribis Euangelium.
Ante redemptor eras, mox factus Apoſtolus ore
Lucraris cœlis, atque Deo Æthiopas.
Ante Telonèum, bis ſex è ſedibus at nunc
Vna habet. hinc orbẽ iudicio, alme, premes.

Matt. vbi neque fures effod. neque ærugo, nec tinea demolitur.

Ad D. Bartholomæum Apoſt.



CERNERET anguſtas cum Bartholomæus Olympi
Eſſe fores, veluti dixerat antè De⁹;
Sarcinulas, veſtes demum ſpolia omnia linquit,
Omnibus aſtra adeat liber vt exuuiis.

Matt. Arcta eſt porta, quę ducit ad ſalutem.

Nec

Nec ſatis hoc, propriũ ſpoliũ, pellemq́; cruẽtam,
Exuis, intrantem ne nihil impediat.
Vt poſitis nouus exuuiis ſi fortè foramen
Attentat ſerpens ocyus ingreditur.
Sic proprio poſito ſpolio leuis aſtra ſubiſti;
Arctaq́; porta aliis ſic tibi lata fuit.

In D. Thomam Apoſtolum.

Qui facile credit, leuis eſt corde. Gre. Mor.



NON tu corde leuis, Thoma, ſapientis ab ore
Diceris eſſe quidem, quod citò crediderís.
Verùm plus nobis tardè tu, Didyme, credens
Confers; credentes quàm citò diſcipuli:
Per te iam tetigi quod non ſit Spiritus, at quod
Exurgens Dominus corpus, & oſſa habeat.
Felix, ipſe manu tractaſti vulnera, de queis
Emaculans mundum fluxerat ante cruor.
Ipſe latus penetras de quo myſteria cuncta
Manarunt, & cum ſanguine fluxit aqua.
Iamq́; fide vera ſatis es repletus Abyſſe;
Vndansq́; hac alios imbuis, atq; rigas.

De

De SS. Apoſtolis Simone, & Iuda.



SIMON Ægypto dum prædicat, abluit illi
Vtilius Nilo corporaque, atque animos.
Et Nilo longè fęcundior omnibus auget
Diuitijs illam, & frugibus æthereis.
At Mediamnenſes dum Iudas vertit ad aſtra, Meſopotamiam.
Clarior Euphrate & pulchrior exhilarat.
Illorumq; animas ſalientibus irrigat vndis Ioan. Fiet in eo fõs aquæ ſalientis in vitã ęter.
In vitam æternam, perpetuumq; bonum.
Amnibus ò ſimiles, cœli ò duo flumina, nanq; vt Ideſt, Nilus, & Euphrates.
Vno è fonte ſcatent hæc Paradiſiaco;
Sic & vos vno cęleſti è fonte ſalubri .i. ab vno Magiſtro Chriſto.
Manantes, eadem regna rigatis aqua.

In D. Lucam Euangeliſtam.



CORPORA curabas variis ægrota medelis
Æquans tu, Lucas, ante vel Hippocratem.
Aſt animas curans modò clarus in æthere, tu das
Pharmaca, queìs longè vincis & Hippocratẽ.

Phar-

Pharmaca cœleſti medico dictata, quibusquè
Ipſe ſalutiferum condis Euangelium.

In D. Marcum Euang.

Apoc. Vicit Leo de tribu Iuda. i. reſurrectionē, & aſcēſionem Dñi. Initium Euangel. Marci.



Sic tu ſurgētē Iudę de ſtirpe Leonē,
Celſaq; ſcandentem ſydera, Marce, canis.
Sic & Ioannis vaſta clamãtis eremo
Vocem, Marce, tonas, terrificaſquè minas.

vide Ezechie. & Apocal.

Omnis terra tuo rugitu vt plena reſultet,
Et tremat aſſurgens, aliger, alme Leo.

In eundem.

Apol. Or. in Hiero. Qm̃ Leo vigilēs oculos claudit, eoſdem cum dormit apertos habet, quod quidē cuſtodiæ, atque excubiarum ſignum eſt. vñ & non abſque ſignificatione ſacrorum clauſtris Leones q cuſtodū loco ſint appinxerũt. ſed latius Pier. Val. Signũ cęl.

Tamquam cuſtodes vigiles poſuère Leonum
Effigies Pharij pro foribusq; Deûm,
Templorũ & clauſtris. Hi nanq; videntur aperto
Lumine ſopiri, perſpiciuntq; procul.
At quibus excubiis loca tu tibi ſacra tueris
Adria iam teſtis, teſtis & vrbs Venetûm.
Quæ virgo nullis direpta ex hoſtibus vnquam
Te cuſtode, Leo maxime, tuta manet.
Sydereiſq; tuis exultat læta ſub alis,
Aſtra quibus cedunt quæ Nemeæus habet.

In

In Sanctos Innocentes Martyres.

O Fortunati infantes, quos mucro Tyranni
Sæuus Idumæi ſubſtulit innocuos;
Pro Domino æquæuo qui sãguine venerat orbẽ
Nempè redempturus, morteq; terribili,
Vos ſupponentes voſmet, lachrymando cruorẽ
E matrum rapti funditis vberibus.
Ille ſed euadens penetrat Memphitica regna.
Aſt aderit, vobis dignaq; ſerta dabit.
Iam dedit; in cœlo iam palmis, iamq; corollis
Illius antè thronum luditis, ò pueri.

In D. Stephanum Prothomartyrem.



HYPPOLYTI nomen meruit Theſeius heros,
Inſanis eſſet quod lacerandus equis.
Et meritò Stephanus tu dictus es, hoc tibi quando
Nomen Martyrij rubra corona dedit.

In eundem.

VT ſtellas inter, quam geſſit munus Iacchi
Illa Ariadna olim, fixa corona micat.
Haud ſecus aſtricolas Diuos, & Martyras inter
Et ſerto, & meritis tu, Stephane alme, nites.

Ad

Ad D. Laurentium.



MACTATOS alij Tauros, cęſaſq́; bidentes
Vrebant flammis, iuſſa holocauſta Deo.
Omnia ſed tu dans, tantummodò cum ſupereſſes
Ipſe leuis, prunas deſpicis, atque faces:
Paul. Hoſtiam viuentem, Deo placentem. Ac viuum te das, Laurenti inuicte, cremandum,
O' viuo viuens hoſtia grata Deo.

De D. Auguſtino.



VIDIT vt æternis Auguſtinum Africa libris
Condere digna Deis, arduaq́; obſtupuit.
Et lætata refert: Maius mihi parua Tagaſta,
Quàm Carthago ferox ipſa decus peperit.
Nam tulit Annibalẽ hæc, diris qui peſtifer armis
Europæ, atque mihi maxima damna tulit.
Innumerasq́; animas bellando miſit ad Orcum,
Et tanti exitij cauſa, maliq́; fuit.
Contrà Auguſtinum dedit illa: ſalutifer orbi
Qui Europæ, atque mihi maxima dona tulit.

In-

Innumeraſq; animas ſcribendo miſit ad aſtra,
  Lætitiæ & tantæ cauſa, boniq; fuit.
Adde quod horrēdis Mars alter quātus in armis
  Ille fuit, ſpoliis victor onuſtus, ouans,
Tantus hic in ſcriptis pollet Cyllenius alter,
  Eloquio Hæreticῶn agmina praua metens.
Nec minus ille meos per terras iactat honores:
  Quam clareſco per hunc, & ſuper aſtra feror.

In D. Gregorium Magnum.



ILLA in Iordani quæ cœlitus alba columba
  Venit, & in loti vertice viſa Dei eſt,
Auriculæ inſpirans dictauit talia cordi,
  Tantaque, Diue, tuo: magnus vt hinc fueris.
Inq; tuis ſcriptis ſpirans nunc ſpiritus idem
  Lectores afflat, celſaq; ad aſtra rapit.
Maiorem at fecit, tibi dum ſanctiſſima ſpirat
  Facta, quibus ceu Sol tempus in omne micas.
Teſtes hæretici domiti, partiq; Britanni,
  Quæq; innixa tibi ſtat domus alta Dei.

In D. Ambroſium Eccleſiæ Doct.



DVLCE examen Apum pueri, quod in ora volauit,
Et dulcis nomen quę dedit Ambroſia,
Iam deſignabant tua florida, dulcia ſcripta,
Dulcis & eloquij, maxime Doctor, opes;
Imperio cuius ceſſit Theodoſius, & qui
Alter vt Alcides impia monſtra domas.

In D. Hieronymum Eccleſiæ Doct.



DVM tua ſcripta lego; vitę dum ſpecto rigorem,
Neſcio num vita es maior, an eloquio.
Tanta tamen doctrina tuis, facundia tanta
In ſcriptis lucet, ſic variusq́; nites,
Vt iure attonitus poſſim iam dicere, quod tu
Doctrinæ, eloquij, vaſtus es Oceanus.
Quod ſcripturarum Sol es clariſſimus, & quod
Nil te Chriſticolùm doctius orbis habet.

In

In D. Thomam Aquinatem.

QVICQVID Graiugenæ, quicquid dixère Latini
Doctores, ſcriptis congeris ipſe tuis,
Thoma, doctrinæ, ſophiæq́; altiſſima Abyſſus,
Quæq́; arcana Dei omnia penè capis.
Tu mihi tàm clarè via, lux, cœleſtia pandis,
Cœlicolum vt videar viuus adeſſe choris.
Firma Dei templi baſis, inconcuſſa columna,
Cœlitus inſtructus Doctor es Angelice.
Qui te perlegit, diuini ſcire fatetur
Quicq̄d habet Latiũ, Græcia quicquid habet.

In D. Bonauenturam.

NON diſciplinæ, fratrum uon cura tuorum,
Non qui te cinxit murice pulcher honos:
A precibus, cultuq́; Dei, vitæq́; rigore
Flectere celſum animum iam potuère tuum.
Immò ſic viuis, clarum vt miracula iam te,
Reddant, Seraphicum dum petis ipſe chorũ,
O ſi nunc eſſent pietatis pectora tantæ
Æmula, quàm verè ſæcla beata forent.

In D. Gregorium Nazianzenum.

NVBILA ceu tranans affigit lumina Soli,
Tela Iouiq; affert armiger ille Iouis.
A terris ſic ipſe volas, atque æthera tangis,
Intendisq́; acies, cernis ibiq́; Deum.
Lumine cuius ouans tu tàm ſublimia tractas,
Mundus vt obſtupeat, ſuſpiciatq; procul.
Diſtringisq́; ſtilum, quo tu ceu fulmine Reges
Inſanos vris, perpetuoq́; notas.

In D. Baſilium Magnum.

SI duo Gregorij, Baſili, ſuper æthera tollunt
Te, quid noſtra leuis dicere Muſa poteſt?
Hæreticos ſternis, fregit te propter & horum
Signiferum Regem, ceu Pharaona Deus.
Naſcentis claras ſic incunabula mundi,
Mirer vt artificem nobile propter opus
Talib. inſtituis monachos, pater optime, normis,
Vt ſeruentur adhuc, dent aliisq́; modum.
Iamq́; es ter Magnus, per ſanctis moribus ingẽs,
Magnus doctrina, magnus & eloquio.

In D. Ioannem Chryſoſtomum.

AVRATVM quis non Chryſoſtome dixerit eſſe
Os tibi, dũ mirãs aurea verba legit,
Ex illo q̃ mel Pyliũ ſuperãtia manãt;
Tartara queis aperis, queis reſeraſq; Polum?
Præmia dum regni, pœnas dum pandis Auerni,
Quamuis ſub tumulo muta fauilla iaces,
Sic tamen eloquio ipſe tonas, ſic fulmina vibras,
Sic ardens viuus concionaris adhuc,
Vt velut è ſuggeſtu te audiat, atque tremiſcat
Lector, & hunc mundũ temnat, ametq; Deũ.

Ad D. Antonium Abbatem.



QVIS valeat numerare tuas, Athleta, coronas
Magne Dei, quem Dis, quem Furięq; tremunt.
Vſque adeò a teneris domita tu carne triumphas,
Victoq; è mundo pulchra trophæa refers.
Illa ſed egregias tibi dant certamina palmas,
Queis domitus ceſſit iam tibi Dux Erebi.
Nam velut Alcides fuit imperterritus, Orcum
Intrans, àc vinctum Cerberon inde trahens,

Sic ipſe intrepidus, quamuis pulſatus, inermis
Dæmonas exuperas, Eumenidasq́; truces.
Quas, ò Diue, tui tantus tum nominis horror
Cœpit, vt audito hoc corpora deſererent.
Antoni, Stygiæ victor fortiſſime gentis,
Quo nihil Ægyptus nobilius genuit.

In D. Paulum primum heremitam.

FELIX, cęleſtem didiciſti viuere vitam,
Carne in adhuc fragili, Paule beate, manens.
Nanq; hoĩes fugiens, latebras tu primus Eremi
Incolis, inq́; ſpecu ſolus, inopsq́; lates.
Hìc tibi Palma cibũ, ac veſtem dedit vna, ſitimq́;
Rextinxit parui frigida fontis aqua.
Dimidiũ & panis fert miſſus ab æthere Coruus,
Thesbiti Heroi ceu tulit ore prius.
Sic fuit in cœlis tua conuerſatio ſemper,
Dumq́; feras ſęclum degis & inter aues.

Ad D. Egidium Abbatem.

HERCVLIS, atque Auges nato admonuiſſe papillas
Infanti ceruam fabula priſca canit.

Aſt,

Aſt, Egidi, tibi Cerua inopi ſacer incola Eremi
Quæ tu lactares vbera plena tulit.
Non Rex Myſorum, verax ſed Telephus ergo Telephus .i. lactens ceruam.
Es tu. haud ficta cano, maxima cura Dei.

In D. Benedictum Abbatem.



PLVS per treis annos diſcis, doctore ſuperno Vide Grego. in vita S. Bened.
Flamine, deſerto tu, Benedicte, ſpecu.
Quam centum doctis tua non didiciſſet Athenis
Mens, diſciplinis aptior ęthereis.

In eundem, de hoſpitalitate eius Monachorum.

SI Deus eſt Amor, atque ardens dilectio vera, Ioa. Deus Charitas eſt.
Verè diſcipulus tu, Benedicte, Dei es.
Nanq; tuis Monachis præcepta ſalubria Amoris
Tu das, vnde vigens ordo perennis erit.
Cenſibus è magnis, atque è prouentibus, illis
Quos dant cœleſtes, munificęq; manus,
Ægrotos curant, & alunt, quæcunque ſuperſunt Quod ſupereſt, date eleemoſynam.
Dant inopi, pandunt hoſpitibuſq; fores,
Ad cœnam inuitant feſſos, recreantq; cubili; Bonũ opus operata ē in me.
Hoc eſt optimũ opus. hic celebrãdus Amor.

Diſpenſatores hi digni, magna tributa
Annua queìs largis maxima regna ferant.
Volat & auratas Pactolus, & Hermus arenas,
Et pleno cornu Copia fundat opes.

In D. Franciſcum.



FVLGIDA legiferum decorabant cornua Moſen;
Sole è ſupremo traxerat hos radios.
Heliam igniuomæ vexère ſub æthera bigæ;
Gala.6.Ego.n.ſtigmata D.N.I.Chriſti in corpore meo porto.
Illi cœlicolæ flamma fuère, & equi.
At Franciſce beant Domini te Stigmata clara
Corpore quæ Paulus geſſerat ante ſuo.
Semideisq; æquant his te, ſimilemq; Tonanti
Reddũt, Seraphicum dantq; habitare chorũ.

In D. Mariam Magdalenam.



T Domino placeas, frangis tu, Diua, Alabaſtrum,
Duritiem frangẽs pectoris antè tui.
Illius atque pedes vnguento ſpargis odoro,
Et gemino lachrymans ſaucia fonte rigas.

Tum

Tum fulua, ſparſaq; coma detergis, & inde
Ambroſiis plantis oſcula figis amans.
His actis felix, ò terquè, quaterquè Maria,
Hoc gemitu, his lacrymis eſt tibi partus amãs;
Diuinam cuius ſpeciem Phębusquè, ſororquè
Mirantur, laudant ſydera, cœlicolæ.
Illius ipſa tuis penetraſti pectus ocellis,
Ex his dum fundis flumina amara gemens.
Illius ipſa tuis vinxiſti corda capillis,
Dum ſoluens iactas, tergis & hilce pedes.
Oſcula & illa tibi dulciſſima conciliarunt
Quem prius iratum crimina reddiderant.

De eadem.

CHRISTE fide accenſus bonus vt te Petrus amauit,
Tequè loqui vitæ verba perennis, ait. Ioan. Verba vitæ æternæ habes.
Sic & amore calens te Magdalena ſecuta eſt,
E'què tuo ſemper ore pependit hians.
Quãpropter veluti Diuos ſupereminet omnes
Ille, licèt noſcens fœdera coniugij.
Haud ſecus hæc Diuas niueo vel flore nitentes
Peccatrix quamuis vincit, & antè volat.
Excipio matrem, cui triplex machina ſeruit;
Tantum te, vincens omnia, vincit Amor.


In

In D. Catherinam Virg. Mart.



AT te candidior pura, Catherina, Columba,
Omnibus ante ferunt hæc tria Virginibus.
Annulus inſertus digito, quo te ſibi ſponſam
Fecit Rex hominum, Cœlicolumq́; parens.
Percuſſumq́; tuum quod lac pro ſanguine collú
Fudit, ceu niuei candida ſigna animi.
Quodq́; tuum corpus tumulauit vertice Sinæ
Aligerùm portans læta caterua Deùm.

In D. Vrſulam, & Socias.



AN tibi Pentheſilea furens, & Amazones omnes
Vrſula, non cedunt, Virginibusq́; tuis?
Victrices etenim quamuis & in agmine fortes
Hæ fuerint, celebres dum fera bella cient.
Occubuère tamen aduerſo Marte ſubactæ,
E'q; armis tantum nomina vana ferunt.

At

At vos imbelles, cedentes, vndique inermes,
Armatæq; fide, iuſtitiæq́; cetra, .i. Scuto; Verg. Læuas cetrâ tegit.
Veſtro pro Chriſto dum lactea colla ſecuri
Præbetis, veſter dum cruor arua rigat:
Vincitis hìc victæ, palmasq́; meretis Olympo,
Et duplici ſerto luditis ante Deum.

In feſto omnium Sanctorum ad uniuerſos Sanctos.



O glorioſi Principes Apoſtoli,
O Patriarchæ, grata cęlo pectora,
Sancti, ò Prophetæ, ſpiritus oracula,
O Laureis, Palmisq́; clari Martyres,
O vera, Doctores, Dei tonitrua,
O clara Cõfeſſorũ, & illuſtris cohors,
O Monachi, Eremiq́; incolæ mirabiles,
O candidis ſtolis amictæ virgines,
O cæteri beati, & almi ſpiritus,
Qui nunc tenetis alta cœli mœnia,
Si ritè veſtra nunc celebrat Orgia
Deos prophanos deſtruens Eccleſia, In Tẽpli dedicatione, qđ Pãtheon appellabatur.
Apud Tonantem vos perenni nos prece
Iuuate vt ærumnoſo ab æuo hoc ſoſpites
Veſtris choris nos iam merentes inſerat
Illi vt canamus perpetim Triſagium.

In

In Commemorat. omnium fidelium Defunctorum.



Deprof. clam. aui.

QVI tanti lucent ignes? quis tantus ab imis
Cum gemitu clamor flebilis aſtra ferit?
Tanta nè nos miſeros exercet pęna nocentes
Crimine pro paruo? tanta nè ſupplicia?
Tartarus haud aliter manes habet. vna ſalutis
Spes tamen his animis eleuat omne malum.
Requiem æternam do. e. D.
Illis tu requiem æternam da, Rector Olympi,
Nanq; eadem triduò te tenuère loca.
Meq́; ſub infernas pœnas deſcendere viuum
Fac, vt poſt obitum iam procul inde volem.
Hìc vre, hìcq́; ſeca: tormentis dummodò ab illis
Aurea ſemotum ſydera me teneant.

In D. Michaelem Archangelum.



TV qui viciſti, Michaël, pugnando Draconem,
Poſt quem ſtellarum tertia pars cecidit;
Sic aſſiſte mihi, ſic hoſtes eminus arce,
Vt mihi nec mundus, Tartara nec noceant.

Cum

Cũ verò hanc aĩam Mors ſoluerit artubus ęgris,
Hanc cape defendens, offer & ante Deum.
O' cœli Princeps, cui credita maxima regna,
Fidæ ò militiæ ſignifer æthereæ.
O' noſter cuſtos, quem ſicut Olympus honorat,
Sic Erebi regnum, Dis, Furiæq; nemunt.

In D. Gabrielem Archangelum.



TANGERE cœlicolum ſi poſſet pectora liuor
Tunc iam pulſaſſet, vis memoranda Dei, Gabriel, fortitudo Dei.
Electus cum de tot millibus ipſe fuiſti
Orator, per quem dicta Dei accipiens
Mẽte, vteroq; illum, quem totus nõ capit orbis,
Conciperet virgo, facta Dei genitrix.
Sicut diluuio ramum viridantis Oliuæ
Arcam tunc repetens ore columba tulit.
Tempore ſic belli pacem tu candidus ales
Ore refers illi quæ fuit arca Dei.
Cui nunc aſſiſtis, cuius tu iuſſa capeſſis,
Nomine cui noſtro profer & illud Aue.

In D. Raphaelem Archangelum.




A noſtris ægris animis mala cuncta repelle,
Atque artus cura tu, Medicina Dei,
Illius & piſcis, quem paſſio torruit aſpra,
Obline felle meos intus, & extrà oculos.

Fletu extra, intus dolore.

Sis comes ipſe viæ, redeuntes patria dum nos
Accipiat, qua tu ſcamna ſuperna tenes.
Atq; preces noſtras, Raphaël, velut ante Tobiæ,
Offer ceu Myrrham, thuraq; odora Deo.

In S. Angelum cuſtodem.



O quem cuſtodem Authoris mihi matris ab alto
Prouida naſcenti, menſq; benigna dedit,
Spiritus alipotens, mihi talia ſuggere dicta,
Taliaq; inſpira fortia facta animo.
Vt Duce te merear cœlos conſcendere, tecum
Regnare, & ſemper concelebrare Deum.

FINIS.

HORATII VICOMERCATI SENTINATIS

Ode

AD MVTIVM SFORTIAM.

TV ſiue laudes Tybridis inclyti
Contexis alto carmine: ſiue opus,
Quod regius contauit Auctor
Ad numeros reuocas latinos:
Seu clara dicis facta Quiritium,
Excellis: vt iam fama tuæ volet
Virtutis, illuſtretq; totam
Heſperiam Euganeis ab oris.
Diuina ſi tu carmina diuidas
Maiore plectro, Mæonium refers
Vatem canendo: ſi minori,
Pindaricam ſuperas Camænam.
Dum te benigno lumine reſpicit
Fouetq; ſacris in penetralibus
Apollo; perge, & quò vocat te
Alma Iouis ſoboles ſequare.
Quis ſcit? reſurget forte aliquis tua
Qui ſcripta poſsit munere debito
Donare, maioremq; Muſam
Efficere, atque hilarare mentem

Iſtam

Iſtam tuam: quæ cœlitus eſt tibi
Conceſſa, quò cœleſtia concinas,
Et dona deſcribas Deorum
Purpureo gradiens Cothurno.
Sed vera virtus, cum nihil appetat,
Contenta paruo, eſt ipſa ſibi ſatis.
Solus repellens ſtultus odit
Aureolam mediocritatem.

Errores,			*Correctiones,*
Iuſtra &	pag. 3	lin: 10	Iuſtrat &
Cœlos expulſos	pag. 8	lin. 3	Cœlis exp.
& mulos	pag. 20	lin. 5	& muros
tum feriatur humus,	pag. 52	lin. 22	requieſcit humus.
ſaties tu	pag. 40	lin. 23	ſatias tu. pro ſatietas.

A01 1469595

Digitized by Google

BIBL
VIT